

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

22
Q. F. F. F. S.

IESVM CHRISTVM
IMMANVELEM

Esa. ^VXII. 14. Matth. I. 22. 23.

CONTRA IVDAEOS

DEFENDIT

SVAMQVE HANC DEFENSIONEM

PRAESIDE

ANDR. GEORG. WAEHNER.

LING. OR. P. P. O.

DIE IX APRILIS MDCCLV.

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI

SVMITTET

RESPONSVRS AVCTOR

PHILIPPVS DVVAL

LONDINENSIS ANGLVS

W

GOTTINGAE

TYPIS IO. CHRISTOPH. LVDOLPHI SCHVLZII, TYPOGR. ACAD.



Q U E R S
IESVM CHRISTVM

IMMANUELEM

ANNO MDCCLXXII

CONTRA IVDÆOS

DEFENDIT
SVAMQVE HANC DEFENSIONEM

P R A E S I D E

ANDR. GEORG. WAHNER

LING. OR. P. P. O.

DIE IN APTILIS MDCCLXXII

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVMMITTE

PHILIPPVS DVVAL

LONDINENSIS ANGLVS

GOTTINGAE

TIEN IO. CHRISTOPH. LUDOLPHI SCHULZII TYOGR. ACAD.

UNIVERSITÄT GOTTINGEN



SERENISSIMAE. ET. CELSISSIMAE

AVGVSTAE

WALLIARVM. PRINCIPI

REGVM. MAGNAE. BRITANNIAE
FVTVRORVM

M A T R I

GENTIS. BRITANNICAE

DELICIIIS

HAS. LABORVM. SVORVM. ACADEMICORVM
PRIMITIAS

HS. QVIBVS. PAR. EST. OBSEQVIO. ET
REVERENTIA

D. D. D

PHILIPPVS. DVVAL



SEKRETISSIMAE ET CERISSIMAE
AUGUSTAE
WALLIARVM PRINCEPI
REGVM MAGNAE BRITANNIAE
EVTVORVM

M. A. T. R. I
GENTIS BRITANNICAE
DELICIS
HAS LABORVM SVORVM ACADEMICORVM
PRIMITIAS
MS. QVIBVS PAR. EST. ORSCVIO ET
RVVERENTIA

PHILIPPVS DVVAL



S. I.

Non acrius pugnari solet quam pro religione. Quae tamen in re multis modis peccatur. Qui suo ipsorum sanguine, ubi opus esset, debebant, atrace defendere eam malunt. Id quod religiosi non est, sed animi ab omni humanitate profus alieni. *Opiniones vagae non raro sunt & errores*, quas veritates divinas, easque certissimas, esse contendunt. Sed quid rei cum opinionibus religioni est? Errare vero si turpe; ex errore se extricare non posse, turpius sane est; turpissimum, si nolis. *Rationibus qui convinci non possunt*, disputare non debebant. *Qui nolunt*, veritatem frivole supplantant. Quo iure, quaeso, postulent, aliis ut satisfaciant ea, quae sibi ipsis non satisfaciunt? Toties, horum virorum imprudentia, cladem accipit bona causa, quoties *invalidi argumenti* futilitatem strenuus aduersarius ostendit. Esto vero, imbellibus *verba* dent aduersariis. Haecine vero pro veritate victoria est? Dolus est. Quo quidem repellere dolum liceat; circumvenire vera scrutantem non licet. *Piis Fraudibus*

Esa. VII, 10-17. locus inter nos & Iudaeos quam maxime controuersus

A

bus

2

**) ** (**

bus non indiget religio: licet vel obstinatorum pertinaciae, vel etiam hebetiorum ingeniorum stoliditati iis interdum nec male nec infeliciter occurri non negemus. Quis tam sit stolidus, vt solide conuictum credat eum, quem astute a se circumuentum esse non nesciat? *Se vero ipsum quomodo quis conuincat, in quo se alios non nisi sophismatibus decipere potuisse sibi sit conscius?* Circa res alias ita versari, boni viri non est. Circa ea, quae ad religionem spectant, stupidi, superstitiosi, profani, irreligiosi. *Stabit fides Christiana, si vel pereat mundus.* Sed non stat per eos, qui disputando contra infideles aërem feriunt. Factum hoc est, in explicatione insignis Esaiæ de *Inmanuele a virgine, an adolescentula?* in lucem edendo vaticinii, in multis, a multis, si non omnibus, tam in *Christianorum* quam *Iudaeorum* acie stantibus militibus. Quod, eandem in arenam descendentes, eorum, qui *acu rem omnem non tetigerunt*, nos quoque numerum aucturi non sumus, vix ac ne vix quidem sperare, nedum confidere, audemus. Faciemus tamen quantum poterimus. Contenti, si non *andabatarum more*, sed vt viros bonos decet, aciem nos instruxisse, vtriusque partis viri boni largiri teneantur. Quod vt obtineamus, id potius agemus, quod *pacifearum* est, quam quod militum. *Nihil eorum, quae pro Iudæis dici posse putamus, doctose dissimulabimus.* Non magis ea, quae minus recte a *Christianis* dici credimus. *Lucem non fugimus.* Plus forte apud *Iudaeos* haec nostra ingenuitas poterit, quam omnes artes palaestricae. Quorum si odium in optimum feruatorem extinguere nequeamus; *Christianorum*

horum tamen non paucis ea, quae eos torserant, dubia fortasse eximemus. Sin neutrum; occasionem saltem nos aliis *superstruenti his meliora* suppeditaturos confidimus. Iudaeorum enim si in fugam agendus exercitus sit; certum est, hoc in bello arte noua praelium esse committendum, non ea qua adhuc a plerisque est factum. Ante vero, quam interpretum Esaiæ suscipiamus personas; pauca erunt praemittenda, cum de *genuino vocabulorum nonnullorum significato*; tum de *grammatica*; tum de eo quis *rerum vatis* tempore fuerit status.

§. I I

Nemo est qui nesciat, quot inde in legendis veterum monumentis nascantur errores, quot dissensiones, si de *genuino vocabulorum significato* non satis constet. Is igitur, incertus si sit & dubius, quomodo est inuestigandus?

Quomodo genuinus vocabulorum significatus sit inuestigandus.

1) Euolue quotquot poteris *scriptorum*, qui eadem, qua is in cuius aliquo loco dubius haeres, *lingua locuti* sunt, loca, in quibus id, quod te sollicitum habet, obuium vocabulum est. Erunt in illis, qui notiones tibi dent ista cum voce coniungi solitas, inque illis vel vnam vel plures quae loco tuo vexato videantur accommodatae. Praefer, caeteris paribus, eam, quae eiusdem est *scriptoris*: Quia optimus suorum quisque verborum interpretes est. Sequantur illius *ciues & coaeranei*. Nam vt nummi, sic neque verba idem



idem ubique terrarum (a) valent. Tempus vero in mutando vocabulorum significatu quid possit, (b) quis nescit? Claudant agmen scriptores caeteri, vel antiquiores vel recentiores.

Vnicus igitur certus & indubitatus sacri codicis sacer codex Ebraeus interpretis est. Quos enim praeter hunc Ebraeos libros habemus, Mischnam & post hanc scriptos; hi iusto sunt recentiores. Neque tamen in penitus negligendi. Magna tamen cum circumspectione in subsidium sunt vocandi: Cum, sua aetate vocabulorum usum a priscorum iam descivisse consuetudine, ipsi confiteantur doctores Talmudici. Quae cum ita sint; immortales viris debemus gratias, qui Ebraeos sacri codicis nobis dederunt Concordantias. A quibus tamen adscriptas notiones non magis commendamus, quam eas, quae in Lexicis comparent. Id illis acceptum habeto, quod sacrorum interpretum venerandum tibi coegerint senatum. Hos ipsos audi sui ipsorum interpretes. Vnicum hoc certum, ad definiendum certi quid in sacri codicis vocum notionibus & phraseologia, remedium

(a) E. g. Germanis, *die hosen*, braccae sunt. In nonnullis vero Germaniae inferioris prouinciis, *de hosen* sunt tibialia. Vnde nostrum obsoletum *hose*, tibialia: Ex quo, *hoser*, tibialia vendens.

(b) Huc pertinent, *magus*, tyrannus. Vid. & A. Gellii noct. Attic. lib. IV, 9. X, 11. XI, 2. XII, 9.

XIII, 16, 29. XV, 5. XIX, 7. Germanis *Grind* quondam caput fuit; quo in significato nunc paene obsoleuit: Est hodie *scabies*. Gallis, *une prude*, quondam femina proba, prudens, bonae mentis, virtutisque studiosissima fuit: Quam qui hodie dicat, non laudat, sed sugillationis & hypocriticos infimulat.

dum esse, confitebuntur omnes, qui non rumore po-
nunt ante veritatem.

2) *Erymologia* sequitur; vel rectius a Cicerone
dicta *notatio*. Sed haec *verosimilitudinis ministra* est,
non certitudinis. Verborum Latinorum inquirentes
originem, illi ipsi quibus *viua* & *vernacula lingua* esset,
non raro *hariolati* verius sunt, (c) quam quod actu
rem tetigerint confidere potuerunt. De sua ipsius,
quam cum lacte materno imbibit, lingua quisque fe-
rat iudicium. Quae eiusdem originis esse videantur, ita
saepe, maxime in Orientis linguis, *inter se distant* &
diuersi significatus vocabula sunt, (d) vt *nulla* profus
inter ea appareat *affinitas*. Quae tamen esse possit.
Possit. Hae vero sunt coniecturae. Coniecturis au-
tem ita se abripi non patitur vir prudens, vt certa
se narrare confidat,

3) *Linguae affines* contemnendae non sunt, nec
possunt contemni in iis, ad quae nullus alius patet ac-
cessus.

A 3

(c) Vid. A. Geh Noct. Att. lib. I.
e. 18, 25. II, 10, 21, 22. III, 19. V, 7,
8, 12. VI, 12. VII, 17. X, 5. XII, 3,
24. XIII, 10. XV, 3, 30. XVI, 5, 6.
12. 14. 17.

(d) Iocari nobis visi sunt, qui
rationem reddere sunt conati, cur
a בקר *inuestigare, inquirere*, de-
rinatum sit בקר *mane*, בקר, *bos*,

cur illi *loqui, ducere*,
A רבך *loqui, ducere*,
cur מרבך *deservunt*, A חול *dolere*,
cur חול *arena*. A כלל *perficere*,
absolvere, cur בלה *sponsa, nupti*.
A נער *excutere*, cur נער *puer*.
A נשה *oblivisci*, cur נשים *faemi-*
nae. A שם *ibi* & שם *aqua*, vel
שם *stupere*, & שם *aqua*,
vel ab שם *ignis* & שם *aqua*, cur
שם *coelum*. &c. &c.



cessus. Quam vero caute & cogitare rem suam tractare debeat, qui in explicando sacro codice ab illis suppetias expectat, non potest latere illum, qui cogitat, *diuersissimum* saepe, saltem *non prorsus eundem, eiusdem diuersis in linguis vocabuli esse significatum*; (e) *libris in ceteris Orientis linguis conscriptis, qui sacro codici coacti sint, nos prorsus desitui; per actatem vero aliam linguas induere formam; denique non magis, interdum etiam minus, genuinum ceterarum Orientis linguarum, quam Ebraei sermonis, nobis cognitum esse vocabulorum significatum.* Ad Lexica non tutius, quam ad Ebraica, confugitur. *Scriptorum testimoniiis opus est; iisque copiosis, & quae sufficientia genuinae notionis exhibeant criteria.* Plus *viro docto, eidemque iudicioso, deberemus, qui inter barbaros aetatem degere vellet, & ad genuinos variosque vocabulorum significatus debita cum circumspectione attendere; qui praesens res*

vi-

(e) E. g. Gallicum *puelle*, procul dubio a Latino; *puella*, descendit. Significat autem illud *virginem ilibatam*, non exclusis illis quae proeclioris iam aetatis sunt. Hoc vero quamlibet *senectam in iuuentutis flore, siue viri, exers ea sit, siue nupta non obitante quod vel vterum gerat vel pepererit, siue denique vidua.* Gallorum, *elle est encore fille, si reddas, illa filia adhuc est, male reddes; bene, si, quod imupta adhuc sit.* Nostrum, *Knaue* a Germanorum *Knaue* esse,

quis non videt? Neque tamen *puerum* nobis significat, sed *hominem nequam, fraudulentum, & improbum.* Obsoletum apud nos iam vocabulum *hochzeit* Germanorum *hochzeit*, *nuptis*, originem debere, aures testantur. Sensu vero satis diuerso sic quondam dictae fuerunt *celebritates quaelibet; in specie illae, quae in repentinum regis Hardiknuri obitum a plebe celebratae fuerunt.* Vid. Sam. Pufendorf. *Einleitung zu der Historie*, Part. I. Cap. IV. pag. 191.

videret, & quibus quae nomina imponerentur rebus au-
 direr. Sed hoc esset aliis inseruendo consumi; quod
 quidem se facere multi clamant, nonnulli putant,
 paucissimi audent. Per etymologiam qui Ebraeo ser-
 moni his ex linguis obstetricias manus quaerunt; nae illi
 turbulentiori, quam qui ex ipsa Ebraea, & incertiori
 pelago se committunt. Huc recte confugitur, quando
 ad amputationes a medicis. Temere, ubi remedia ad-
 sint tutiora, ab utrisque. Ita nos quidem sentimus;
 nihil illis, qui se rectius aliter putant, inuidentes.

Iustum tamen sacri codicis paraphrasibus Chaldaeis,
 (תרגום) de genuina multorum vocabulorum Ebraeo-
 rum notione & phraseologia Ebraica, statimus pre-
 rium. Auranitis (אורניס), cuius incolae dialecto Chaldaeo-
 Syra loquebantur, maior Israelitarum patria fuit; Pa-
 laestinae vicina; plurimum utrique genti nunquam
 non commercii fuit; inque ea, cui multas prae caeteris
 regionibus praerogatiuas tribuunt, infinita Iudaeorum
 millia sedes habuerunt. Non ita vernacula Iudaeis
 post Babylonicum exilium lingua Ebraica esse desierat,
 quin eruditis inter eos quasi vernacula maneret. De
 Chaldaica non est cur dubitesur. Apparet ex his, viros
 utriusque linguae peritissimos has verustatis fatis antiquae
 condidisse paraphrases. Quos tamen in exponendis
 dogmatibus & vaticiniis sublestae fidei suspectos ha-
 bemus. Ad suas ea hypothefes accommodarunt.

4.) De linguis ad Ebraeam minus prope accedenti-
 bus quid sentiamus, ex modo dictis intellectu erit sa-
 cil-



cillimum. Silere de illis in praesentia possemus. Cum tamen non raro verius sit id, quod minus probabile, nolimus dissimulare, Ebraeorum *chomach* (חומח) (f) & Graecorum *Χόμα* eiusdem & soni & valoris esse vocabulum. Per contextum & aurium iudicium, filiorum Iacobi *mcheroth* (מכרוח) (g) graecorum esse *μαχαιρας* credere malimus; quam ullam aliam, vel maxima eruditionis specie superbientem, admittere notionem. Post factam ab *Alexandro magno* in Orientem impressionem multa vocabula Graeca & ab Ebraeis & a ceteris orientis gentibus ciuitate esse donata, qui neget, hunc *paraphrases Chaldaeas* & utrumque *Talmud* euoluere iubemus. At non ante *Alexandrum M.* & pessime ab his multo recentioribus libris ad codicem sacrum infertur. Non ante *Alexandrum M.* Equando *Daniel* vixit? Est ne illius *Karofa* (כרוח) *κῆρξ*? *Kaithros* (קיתרוס) *κῆρξ*? *Symphonia* (סמפוניה) *συμφωνία*? (i) &c. Dic, an hoc sit a libris recentioribus ad codicem sacrum inferre? At certe non ante *Babylonicum exilium*; ante quod nihil prorsus cum Graecis commercii fuit Iudaeis. At vero Graecorum *χόμα* in Exodo (k) & *μαχαιρας* in Genesi (l) iam ostendimus. Nihilne vero Graecis cum gentibus non nisi modico maris mediterranei tractu a se disiunctis consuetudinis praeis hisce temporibus intercessisse vero sit simile? Cum utriusque continentis homines aequae mercaturae, aequae rei

(f) Exod. XIV, 22.

(h) Dan. III, 4.

(g) Gen. XLIX, 5. Per *gladios* reddunt, praeter antiquiores non nullos, *Rafsch, Confutatio, Seb. Schmittius, Lutherus.*

(i) Dan. III, 5.

(k) Exod. XIV, 22.

(l) Gen. XLIX, 5.

rei nauticae, essent dediti? Quid multa? contrarium Herodotus (m) testatur. Iusto vero longius si ex Oriente in Graeciam huriolando excurrant viri docti; hoc quidem eo maioris temeritatis esse nobis quidem videtur, quo acerbioribus se multorum iudiciis exponunt. Nec immerito. Solam soni convenientiam nihil efficere putamus.

5) Quod si vocabula occurrant, qualia multa sunt animalium, arborum, plantarum, rerumque naturae & artis nomina, in quibus solis indulgendum sit coniecturis; audimus huriolantes alios, huriolamur & ipsi. Sed non magis nobis accedimus huriolantibus, quam ceteris. In dubio rem relinquimus. Scire maluius, ea nos, quae nescimus, nescire; quam, quae nescimus, ea nos scire putare. Est enim aliquid, scire, quae nescias. Et quid tum, si quod alicui vel fraticis vel animalis speciei, tibi fortasse ne cognitae quidem, cum occidens eam non habeat, nomen comperat, ignores? Haec non sunt in iis, quae sacri codicis interpretem vel imperitorem faciant, vel commendabiliorem. Nihil ex eo exegesi sacrae praesidii, si, quid Dudaim (דודאים) (n) sint, vel recte conicias. Si vero proprium vocis Almah (עלמה) (o) significatum ignores, inepte contra Iudaeos disputabis.

His, quae nobis ipsi impressimus, vestigiis insistentes, de vocum nonnullarum in vaticinio nostro ob-

(m) Herodot. lib. I, 1:32

(n) Gen. XXX, 14

(o) Es. VII, 14

robiorum notionibus, quarum, partim tempestive me-
mores non fuerunt celeberrimi Esaiæ interpretes, par-
tim falsa de iis tradiderunt, inquiremus.

§. III.

אוֹת, *Signum.*

Oib (אוֹת) Ebraeis non idem semper significat.
I.) Nunc enim est *Signum, Nota, Indicium* quodcun-
que. Huc referuntur:

1) *Criterion; Character*, vel naturalis vel artifi-
cialis, ex quo res dignoscitur. Qualia sunt *Criteria*
(אוֹתוֹת) *viarum*, (p) ex quibus intelligitur, rectam
te tenere & in auiā non aberrare.

2) *Phaenomenon*, coeleste & aëreum. Temporum
ordinandorum *Signa* sunt coelestia *phaenomena* (אוֹתוֹת)
siderium cursus. (q) Constellationum, Eclipsium &c.
ad *phaenomena* (אוֹתוֹת השַׁמַּיִת), gentilium ad imitatio-
nem, expauescere verantur Iudaei. (r) Laetum Noa-
cho, cum sacra post diluuium faceret, *phaenomenon*
(אוֹת) conspecta tum iris fuit: (s) Hiskiae, in vale-
tudinis recuperandae fiduciam, umbra retrograda. (t)

3) *Monumentum*; magnifico exstructa opere moles;
Cippus, sepulcralis, terminalis, alius & caet. *Signum*
(אוֹת), (u) ab Adamo, vt videtur, auctoritate tamen
diuina, Caino exuli positum, *columnae* vel *lapides limi-*
tanei,

(p) Iob. XXI, 29.

(q) Gen. I, 14.

(r) Ier. X, 2.

(s) Gen. IX, 12, 13, 17.

(t) 2 Reg. XX, 8, 9. Eza. XXXVIII, 7.

(u) Gen. IV, 15.

tanēi, ultra quos progredi audere non deberet, fuisse videntur. *Vexilla* exercituum *signa* (w) sunt. Huc referendae sunt *laminae*, ex thuribus Korachi & coniuratorum ductae, & ab altari *in perpetuum* rei memoriam (אור) suspensae. (x) Eiusdem seditionis eos admonebat (אור) *Scipio Aharonis* in tabernaculo sacro asseruandus. (y) *Transitus per Iordanem* *perpetuum testis* (אור) congeries lapidum ad illius ripam, Iosuae iussu, coaceruata fuit. (z) *Sancheribi stragis*, *ara* & *statua* Deo in Aegypto excitanda. (a) *Idolorum* denique *statuae* & apparatus in *monumentis* (אור) recte numerantur. (b)

4) *Mnemofynon*, *symbolum* in rei praeteritae memoriam quoduis. Quae sunt multi ritus. Vt, *Circumcisio*; (c) *Sanguinis agni paschalis* ad forum postes *asperisio*; (d) *Azyma in paschate* comedenda; (e) *Primo-genitorum consecratio*; (f) *Sabbatha* & *Festa*. (g) *Cimelia*, denique vel *Phylacteria*; (h) siquidem legis Moisaicae horum gestatio fuit.

5) *Typus*, *Symbolum*, vel rei fidei & morum, vel rerum futurarum. Huc *rituum Moisaicorum* exercitus

B 2

(w) Numi II, 2.

(x) Num. XVII, 3.

(y) Num. XVII, 25.

(z) Ios. IV, 6.

(a) Esa. 19, 20. Num haec Serthonis Statuta est? de qua Herodot. lib. II, 147.

(b) Pf. LXXIV, 4.

(c) Gen. XVII, 11.

(d) Exod. XII, 13.

(e) Exod. XIII, 9.

(f) Exod. XIII, 16.

(g) Exod. XXXI, 13, 17. Ezech. XX, 12, 20.

(h) Exod. XIII, 9, 16. Deut. VI, 8. XI, 18.

vulgo adducitur. Quos significatiuos fuisse singulos, nulli dubitamus. Sed quid, quaeso, significarunt? Vbi Moses ceterique viri diuini de eo silent, viri quoque cordati merito silent. Nimia in his ingenii fertilitas imbecillitatis iudicii, quam prodit, indicium & typus est. Ominibus, faustis, tristibus, dextris, sinistris, certior hic locus datur. *Omen* (m) laetum Noacho conspecta *iris* fuit. (i) In *Omen* (m) accipere volebat Ionathan *Philistaeorum* acclamaciones. (k) *Ominosa* sunt, *Symbolica* *Nominum* *impositio*; (l) *Esaias*, *nudus & discalceatus* *incedens*; (m) *Typica* *Ezechielis* *urbis* *obsidio*. (n)

6) *Elenchus*; *argumentum*, quo quis arguitur, conuincitur, de re aliqua certior redditur. *Iureiurando* de fide *conuincimus* eum, cui damus. (o) *Si, quae quis praedixit futura*, ea fiant; non contemnendum, quod tamen fallere possit, veritatis *argumentum* (m) est. (pp) De multo gratioribus familiam suam oppressuris calamitatibus *dubitare non poterat* Eli pontifex, (qq) eum praenuntiata per virum diuinam caede filios perire videret. Praeuisa Samueli euentura in itinere impetrandi non minus regni *spem facere* Sauli poterant. (rr) Miseriae multo dirioris *secuturam* *timorem* *incutere*, quae proxime Iudaeos in Aegypto manebant fata aduersa. (ss) Huc denique spectant *res insolitae & portenti*.

(i) Gen. IX, 12, 13, 17.
(k) 1. Sam. XIV, 10.
(l) Esa. VIII, 13.
(m) Esa. XX, 3.
(n) Ezech. IV, 3.

(o) Iof. II, 12.
(pp) Deut. XXXI, 2, 3.
(qq) 1. Sam. II, 34.
(rr) 1. Sam. X, 7, 9.
(ss) Ier. XLIV, 29.

sentosae; quarum is erat finis, vt essent *sigilla veritatis & futuri nunciae*. Per ea, quae ad Sinai montem euentura erant, *conuinci* debebat Israelitica gens, quod summi numinis legatus Moses sit, (tt) Eundem in finem scipio Moses in serpentem fuit conuersus, eiusdemque manus lepra infecta, & caet. (uu) Victimae *επιπροσπος* Gideon animam addidit. (ww) Restituendae salutis Hiskiam *certiorem fecit* umbra retrograda. (xx) Haec *miracula ominosa* dicere liceat.

7) *Exemplum*. (yy) Quo facilius saepe, quam rationibus, quid imitandum vitandumue sit, docemur.

§. IV.

II.) Nunc vero *Oib* (σως) *Miraculum, prodigium, portentum*, in quo nihil ominosi, sed quod eo tendit, vt vel beneficium hominibus summum numen exhibeat, vel poenas iis infligat, significat.

1) *Verum*; in quo vires legesque naturae suspensae vulgo creduntur. Referruntur huc solent ea, quae per Deum & Mosen sunt edita in Aegypto & deserto. (zz)

B 3

2) *Fal-*

(tt) Exod. III, 12.

(uu) Exod. IV, 8, 9, 17, 23, 30.

(ww) Iud. VI, 17, 21.

(xx) 2. Reg. XX, 8, 9. Efa. XXXVIII, 7, 8.

(yy) Ezech. XIV, 8.

(zz) Exod. VII, 3. X, 1, 2. Num.

XIV, 11, 22. Dent IV, 34. VI, 22.

VII, 19. XI, 3. XXVI, 8. XXIX, 2.

XXXIV, 11. Iof. XXIV, 17. Ieri.

XXXII, 20, 21. Pf. LXXVIII, 43.

CV, 27. CXXXV, 9. Neb. IX, 10.

2) *Falsum* siue *praestigiae*; (a) quae verorum miraculorum non nisi *simiae* sunt.

3) *Res insolita, admiranda & stupenda*; quae tamen naturae vires non excedat, hoc denique nomine venire solet. Hascine vero a miraculis satis accurate discernat, cui perfecte cogniti naturae limites non sunt? Nonnulla eorum, quae Aegyptios affligerunt, hanc ad classem reduci posse vel debere vix dubitamus. (b) Huius generis fiat, promissa *Hiskiae terrae fertilitas*, (c) eiusdemque *lethaliter decumbentis sanatio*. (d) Sic *miratu dignissimae* non raro sunt, quas Deus *poenas* (e) infligit, & *admirabilis*, quam fert *opem*. (f)

§. V.

Vocis **מִוֶּחַ**
constructio.

Vocabulo *Orb* (מִוֶּחַ) vt synonyma interdum iungi solent *Edb* (עָדָב) (g) vel *Mophetb* (מִוֶּחַב): (h) Constituitur, non solum quando *signum*, verum etiam quando *miraculum* significat, cum verbo *nabhan* (נָבַח) *dare, edere*. (i) Sed & cum verbis *asab* (עָשָׂה) *facere*. (k)

Sum

- (a) Esa. XLIV, 25.
 (b) E. g. Exod. VIII, 19.
 (c) 2. Reg. XIX, 29. Esa. XXXVII,
 30.
 (d) Esa. XXXVIII, 23.
 (e) Deut. XXVIII, 46. Esa. LXVI,
 19. Ps. LXXV, 9.
 (f) Esa. VIII, 18. Ps. LXXIV, 9.
 LXXXVI, 17.

- (g) E. g. Esa. XIX, 20.
 (h) E. g. Deut. VI, 22. XIII, 2, 3.
 Jer. XXXII, 20, 21.
 (i) E. g. Ios. II, 12. Deut. VI, 22.
 XIII, 2. Neh. IX, 10.
 (k) E. g. Num. XIV, 11, 22,
 Deut. XI, 2. XXXIV, 11. Ios. XXIV,
 17.

Sum (שום) (l) vel *Schub* (שנת) (m) *statuere*, & *Schalach* (שלה), *immittere*. (n)

§. VI.

Non minus late patet Fbraeorum *Nissab* (נסה), נסה quam Latinorum *tentare*. Quippe reperias hoc verbum, vbi significet:

1) *Explorare, perscrutari*, alicuius sententiam, scientiam, sapientiam, ingenium, iudicium, (o) pietatem, (p) fidem, obsequium, (q) animi affectum, (qq) patientiam, longanimitatem, (r) vires (s) & caet.

2) *Experiri: perichitari; periculum facere; wagen, versuch machen, es worauf ankommen lassen*. Sic in *velere* iterato *experiri* (אנסה בגויה) voluit Gideon. (t) In armis ingrediendi non *fecerat periculum* (נסה) David. (u) Daniel cum focius regio cibo & potu inquinari nolens, petiit a Melzare, vt, legumina sibi & aquam in cibum potionemque dando, *periculum sui faceret*, (נשנה את ענדיך) per decem dies. Qui iis obsequutus, eos per decem dies *perichitatus est* (יעסם). (w)

3) *Ag-*

- | | |
|---|------------------------------------|
| (l) E. g. Exod. X, 2. Ier. XXXII, 20. Pf. CV, 27. | XVI, 4. XX, 20. Dent. VIII, 2, 16. |
| (m) E. g. Exod. X, 1. | (qq) 2. Chron. XXXII, 31. |
| (n) E. g. Pf. CXXXV, 9. | (r) Num. XIV, 22. |
| (o) 1. Reg. X, 1. Chron. IX, 1. | (s) Exod. XVII, 2, 7. |
| (p) Deut. XIII, 4. Iud. II, 22. | (t) Iud. VI, 39. |
| III, 1, 4. Pf. XXVI, 2. | (u) 1. Sam. XVII, 39. |
| (q) Gen. XXII, 1. Exod. XV, 25. | (w) Dan. I, 12, 14. |



3) *Aggredi, audere, conari, sustinere; wagen, unterfangen.* Minatur feminis Moses, quae prae molli-
tie & deliciis pedis vestigium humi figere non *susti-*
nerint (נסתרה). (x) Vllum deum *aggressum esse* (הנסה),
vt gentem sibi ex gente alia vindicaret, negat Moses. (y)
Eliphaz in Iobum dicturus: Si quis, inquit, tibi dicere
quid *ausus fuerit* (הנסה), etiamne aegre feras? (z)

Tentari Deus in sacris non raro dicitur. Id quod
pluribus fit modis. 1) *Tentat Deum*, qui delictis *lon-*
ganimitatem eius *solicitat*, eaque *abutitur*. (a) 2) *Qui*
potentiam eius in *dubium* vocat. (b) Israelitae in deser-
to, in aquae & comiteatum penuria, *Deum tenta-*
runt, dicendo: Estne Deus inter nos? (c) Etiamne
verum sit, quod Deus in solitudine mensam nobis in-
struere, panemque suppeditare possit & carnem? (d)
3) Verum etiam *tentare Deum* dicitur, qui, ubi non
debebat, eius *omnipotentia fretus, temere agit*. Hoc
sensu Iesus, ex templo se praecipitem dare iussus, se
Deum tentare velle negat. (e)

§. VII.

בתורה

Vt sequentium significatus vocabulorum inuesti-
gandus sit, id nobis negotii *Vitringa* fecit. Qui scri-
bit:

(x) Deut. XXVIII, 56.

(y) Deut. IV, 34.

(z) Iob. IV, 2.

(a) Deut. VI, 16. Num. XIV, 22.
Pf. LXXVIII, 56.(b) Exod. XVII, 2, 7. Pf. LXXVIII,
18, 41. XCV, 9. CVI, 14.

(c) Exod. XVII, 7.

(d) Pf. LXXVIII, 13 - 29.

(e) Matth. IV, 7.

bit: (f) " Cum tres Ebraeis sint notiones, quibus
 „ virginem, sic dictam, designant, *Naarab* (נערה)
 „ *bibulab* (בתולה), & *almab* (עלמה): haec posterior,
 „ quod ad genuinam suam significationem, propri-
 „ issime de virgine vsurpatur." Quod si ita intelle-
 „ xit, quod, quae virgo sit, vel etiam haberi velit, in-
 „ digne ferre nequeat, si *naarab* (נערה) vel *almab* (עלמה)
 „ dicatur; non habemus, quod contradicamus. Sin
 „ *virginitatis notionem* cum his vocibus coniunctam fu-
 „ isse contendat; cur accedere illi nequeamus, ex se-
 „ quentibus patebit.

Vocis autem *bibulab*, (בתולה) ea notio est, vt
 virginem *illibatam* (g) significet; eamque castam, ne
 furtivis quidem corruptam amoribus. De eo, quod
 sciri potest, loquimur, vel quae videri vult. De oc-
 cultis enim nemo, praeter conscios, iudicare potest.
 Hinc si de *puella* sermo sit, & significari debeat, eam
 esse *virginem*; ad vocem *Naarab* (נערה) addi solet
bibulab (בתולה) (h). Soletque ita definiri: *Quae virum*
non est experta (איש לא ידעה איש); (i) *Quam non cogno-*
vit vir (ואיש לא ידעה); (k) *Quae non elocata est viro*
(אשר לא היתה לאיש). (l) *Opponuntur illi vidua*
(אלמנה), *repudiata* (גרושה), *viitata* (חללה), *scortum*
 vel

(f) *Virgina*, ad Esa. VII, 14.
 (g) Gen. XXIV, 16. Exod. XXII, 17, 18. Lev. XXI, 3, 14. Deut. XXII, 19, 23, 28. Iud. XIX, 24. XXI, 12.
 2. Sam. XIII, 2, 18. 1. Reg. I, 2. Ezech. XLIV, 22, Iob. XXXI, 1. Esth. II, 2, 3, 17, 19.
 (h) E. g. Gen. XXIV, 10. Deut. XXII, 23, 28. 1. Reg. I, 2. Esth. II, 2, 3.
 (i) E. g. Iud. XXI, 12.
 (k) E. g. Gen. XXIV, 16.
 (l) E. g. Lev. XXI, 3.

C



vel *prostitulum* (וּנְדָה). (m). Cum virginitatis spolio multi inhient; Iobus, quam sit sceleris purus, expoliturus: *Pactionem*, inquit, *feceram cum oculis meis; quin magis mihi sollicito, quam virgo, caui.* (n) Quae tamen, omnia si perdat, virginitatem seruare omni opera meminisse debet. Eandem vocem semper retinens Chaldaeus, per *bibulta* (בְּחֻלָּה) reddit. Nihil vero interest, *non desponsata* (אֲשֶׁר לֹא אֲרֻשָׁה) (o) ea sit, an *desponsata* (בְּאֲרֻשָׁה). (p)

Equidem non desunt loca, in quibus *adolescentulae* omnes, nulla habita *virginitatis* ratione, *bibuloth* (בְּחֻלָּה) dici videri queant. (q) Ita tamen illa comparata sunt, vt, scriptores sacros de solis *virginibus* loqui, negari quoque nequeat. Saltem eas esse, quae videri vellent, singulas, optarunt. In his quoque, vnicō (r) excepto vbi *ullemta* (עֻלְמָתָא) est, Chaldaeus *bibulta* (בְּחֻלָּה) semper habet.

Quod figurate *bibulab* (בְּחֻלָּה) *virgo* pro gente, *republica*, *regno*, *orbe*, venit, (s) id nos iam non moratur.

(m) Lev. XXI, 14.

(n) Iob. XXXI, 1.

(o) Exod. XXII, 15. Deut. XXII, 28.

(p) Deut. XXII, 23.

(q) Deut. XXXII, 25. Esa. XXIII, 4. LXII, 5. Jer. II, 32. XXXI, 13. LI, 22. Ezech. IX, 6. Isai I, 8. Am. VIII, 13.

Zach. IX, 17. Ps. XLV, 15. LXXVIII,

63. CXLVIII, 12. Thren. I, 4, 18.

II, 10, 21. V, 11. 2 Chron. XXXVI, 17.

(r) Deut. XXXII, 25.

(s) 2. Reg. XIX, 21. Esa. XXIII, 12.

XXXVII, 22. XI. VII, 1. Jer. XIV, 17.

XVIII, 13. XXXI, 4. 21. XLVI, 11.

Am. V, 2. Thren. I, 13. II, 13.

tur. Vbi Chaldaeus, figuram explicans, per *gentem* (עמא) *regnum* (מלכו) *coetum* (כנשה) reddere solet.

Non contemnendas deriuatum *brbulim* (ברולים) nobis suppetias fert. Quod vel *virginitatem*, (t) vel *virginitatis signa* (u) vbique significat. Chaldaeo idem vocabulum *brbulin* (ברולין) semper retinente.

§. VIII.

Prorsus dispar vocis *naarab* (נערה) ratio est. נערה
Quae quamlibet *puellam, adolescentulam, junges weibsbild, a Young woman*, (uu) virginem, vitiatam, coelibem, nuptam, viduam, significat.

1) De *virgine illibata* (w) legitur, tam desponsata (x) quam non desponsata. (y) Ita tamen, vt scriptor, si certiore facere vellet lectorem, de incoempta se virgine loqui, vocabulum *brbulab* (ברבולא) *virginis* subiungeret. (z) Quod opus non esset; si cum voce *naarab* (נערה) *virginis* notionem coniunxissent.

C 2

2. At

(t) Lev. XX, 13. Iud. XI, 37, 38.

Ezech. XXIII, 3, 8.

(u) Deut. XXII, 14, 15, 17, 20.

(uu) 1. Sam. IX, 11. 2. Reg. V, 2.

Job. XL, 29 Ruth. II, 5.

(w) Gen. XXIV, 14, 16, 23, 55, 57.

Iud. XXI, 12. 1. Reg. I, 2, 3, 4. Esth.

II, 2, 3, 4, 7, 8, 9, 12, 13.

(x) Deut. XXII, 23.

(y) Deut. XXII, 28.

(z) E. g. Gen. XXIV, 16. Deut.

XXII, 23, 28. 1. Reg. I, 2. Esth. II,

2, 3.

2) At vero non minus de *salace* (a) & *viciata* (b) legitur. Dina per Sichemum viciata *btbulab* (בתולרי) *virgo* esse desit; *naarah* (נערה) *adolescentula* nec esse desit nec dici. (c)

3) Sed & *nuptae*, (d) tam primi ordinis vxores quam secundi, atque *viduae*, quamdiu per aetatem sunt, *nearoth* (נערוth) *adolescentulae* salutantur. *Lasciua* Leuitae *pellex* (e) te conuincet, & *Rutha*. (f)

4) Denique *ancillae*, *seruae*, *pedissequae*, dicuntur *nearoth* (נערוth) *puellae*. (g) Quarum aliae sunt castae, aliae lasciuiae, aliae coelibes, aliae nuptae.

Ex his apparet, *aetatis* vocabulum esse *naarah* (נערה); non *status virginei*.

Chaldaeus Ebraeorum *naarah* (נערה) fere semper per *ullemta* (עולמתא) reddit. De sola *Rutha* semper per *ribba* (ריבא). (h) De puellis & *pedissequis* quater per *talita* (טליתא). (i) Nullibi vero per *btbulab* (בתולרי) *virginem* interpretatur.

Ab-

(a) Amos. II. 7.

(b) Deut. XXII, 20, 21, 24, 26, 25.

(c) Gen. XXXIV, 3, 12.

(d) Deut. XXII, 15, 16, 20.

(e) Iud. XIX, 3, 4, 5, 6, 8, 9.

(f) Ruth. II, 6. IV, 12.

(g) Gen. XXIV, 61. Exod. II, 5.

1. Sam. XXV, 42. 2. Reg. V, 4. Prov.

IX, 3. XXVII, 27. XXXI, 15. Ruth. II,

8, 22, 23. III, 2. Esth. II, 9. IV, 4, 16.

(h) Ruth. II, 5, 6. IV, 12.

(i) Iob. XL, 29. Prov. IX, 3.

XXVII, 27. XXXI, 15.

Abstracta *noar* (נער) (k) & *neurim* (נערים) (l) *pueritiam, adolescentiam, iuuentutem* significant; non *virginitatem*. Quare ea Chaldaeus nunquam per *bitulin* (בתולין) reddit; sed vel per *seur* (וער), vel *seer* (ועיר), vel *seerin* (ועירין), vel *iala* (עליא), vel *tahurb* (עוריר), vel *iankuth* (נקור), vel *ulema* (עלמא), vel *ulemin* (עורמי), vel *rbburb* (רבבור), vel *rabiuth* (רביו). Quae singula *adolescentiam* significant, *teneriorem* alia, *alia proaectiorem*.

ע'אח

§. IX.

Ialdab (ילדה) idem quod *naarab* (נערה) valet. *Dinam* a se vitiat: *m ialdab* (ילדה) *puellam* *Sichem* appellat. (m) *Hostibus* irascitur *Ioël*, qui pro vino *zaldab* (לדר) *adolescentulas* vendiderint. (n) *Hierosolymorum* plateas *iladim* (ילדים) *pueris* & *iladorb* (ילרות) *puellis* *plenas* pollicetur *Zacharias*. (o) *Nulla* quoque in hoc *status* vel *virginalis* vel *coniugalis* *notio* est; sed *solius aetatis*. *Qua* *superare* *nuptam* *vir-*

ילדה

C 3

(k) Ps. LXXXVIII, 16. Prov. XXIX, 21. Job. XXXIII, 25. XXXVI, 14.
 (l) Gen. VIII, 21. XLVI, 34. 1. Sam. XII, 2. XVII, 33. 2. Sam. XIX, 8. 1. Reg. XVIII, 12. Efa. XLVII, 12, 15. LIV, 6. Ier. II, 2. III, 4, 24, 25. XXII, 21. XXXI, 19. XXXII, 30. XLVIII, 11. Ezech. IV, 14. XVI, 22, 43, 60. XXIII, 3, 8, 19, 21. Hof. II, 17. Ioël I, 8. Zach. XIII, 5. Mal. II, 14, 15. Pl.

XXV, 7. LXXI, 5, 17. CHI, 5. CXXVII, 4. CXXIX, 1, 2. CXLIV, 12. Prov. II, 17. V. 18. Job. XIII, 26. XXXI, 18. Thren. III, 27. Equidem per *virginitatem* Lev. XXII, 13, reddi debere videri possit. Sed tamen opus non est; imo ne verisimile quidem. (m) Gen. XXXIV, 4. (n) Ioël IV, 3. (o) Zach. VIII, 5.



go possit vel vitiatam; cuius vel paupertatem contemserunt iuvenes, vel quam nemo rogauit.

Quoties *ialdab* (ילדה) in sacris occurrit, Chaldaeus *ullemta* (עולמתא) habet.

§. X.

עלמה

Ad *almab* (עלמה) accedimus. Propter quam omnia illa dicenda fuerunt, quae in praecedentibus sunt dicta. Quippe contendit *Vitringa*, (p) hoc vocabulum, quod ad genuinam suam significationem, propriissime de *virgine* usurpari. Succensetque Iudaeis, Itatuentibus, quod vox *almab* (עלמה) aetatem solummodo respiciat, non statum feminae virginalem aut coniugalem; perinde ac masculinum *elem* (עלם) significet *adolecentem*. Prouocat 1) ad septem illa sacri codicis loca, in quibus haec vox occurrit. 2) Ad etymologiam. Quippe descendere *almab* (עלמה) a *neclam* (נעלם) *absconditum, occultum esse, ignorari: vt alumin* (עלוטים) *ignorata, occulta*. Hanc etymologiam soli putat *virgini* conuenire. Quae sic appellari

III (p) *Vitringa*, ad Esa. VII, 14. Ita quoque *Natablus, Cladius, Forezius, Clericus* ad Esa. VII, 14. *Surenhusius*, in *βιβλ.ω νεωτελ.λεγεινς* ad Matth. I, 22, 23. p. 152, 153. *Calixtus* Concord. Ev. ad Matth. I, 22, 23. *Varenus* ad Esa. VII, 14. *Grotius* ad Matth. I, 23. *Wagenfelsius*, Tel. ign. Sat. pag. 381-428. *Alm-*

possit, III, 25. *IVXXXI. doI. 23. IXX. ad Esa. VII, 14. Parallelism. p. 25. Voce עלמה connotantur simul & aetas & integritas pudicitiae. Cum בתולה hanc solum, quacumque etiam aetate; נערה istam, quaecumque etiam pudicitiae fuerit ratio, designet. Vid. & Guil. Robertson Theaur. linguae sanctae, III, voce עלם.*

possit, quod nescia consuetudinis virilis, *occulta* *ba-*
strenus & *recta* habeat, quae *honestas* alii quam *manito-*
reuelari veter. (pq) Vel potius, quod, pro more ve-
rerum, *domi* lateat & *occuletur*, non *versata* in *publico-*
sed sub-oculis *matris*. Cui veterum *mori* id acceptum
 fit ferendum, quod *virgines* appellarint *κατάκλειστοι*. (q)
conclusas. Contra ea *Chaldaicum* vocare *meretricem*,
 (נפקה ברא), *prodeuntem* *foras*. Eademque de causa *elem*
 (עלם) notare *adolescens*, nondum admotum repu-
 blicae sed *domi* haecenus *sub oculis* *parentis* *latentem*
 & *educatum*.

De *sacri codicis* *locis*, deinceps dicemus. Quam
 vero *lubricam* saepe *ingrediantur* *viam*, qui ad *etymolo-*
giae *confugiunt* *praesidium*, si nesciremus, per has
Vitringae *coniecturas* *conuinci* *possemus*. Quoniam
 eorum, quae *recta* *vult* *pudicitia*, *occultatio* *ipsi* *Vi-*
tringae *parum* *probari* *videretur*; in his non *morabimur*.
 At in *gynaecis* *latebant* *virgines*. *Latebant* *nobilio-*
res. Sed non minus *uxores*; quae vel *arctius* *conclu-*
debantur, & *curiosius* *obseruabantur*, quam *filiae*.
 Hoccine vero etiam ad *feminas* *ex vulgo* *extendes*? Et
 tamen *rustici* *filia*, si *casta* *esset*, & *innupta*, non minus
virgo *fuit*, quam *nobilior* *in gynaecio* *latens*. Fue-
 runt istae *virgines* *κατάκλειστοι*, *puellae* *nobiliores* & *deli-*
catiores; quae, vt *pulchritudini* *parcerent*, *domo* *non*
 facile

(pq) Ita quoque *Valabur*, *Forc-*
rius.

(q) 2. Macc. III, 12. 3. Macc. I,

18. *Conc. Alingius*, *locolite* *p. cita-*
to.

(*) VIXX. nos

facile egrediebantur. *Prostibulum* vero Chaldaeis
 נון נפסן dicitur, non quod liberius domo egredia-
 tur; sed quod, ad faciendum turpe lucrum, per agros
 vagata quos irretiat venatur adolescentulos. Non fe-
 licior Vitringae, eorumque quos ille sequitur, (r) de
 elem (עלם), adolescente, coniectura esse videtur. Quare
 ad certiora pergamus.

Sponsam Isaac Elieser procul dubio quaesivit *illi-
 batam virginem*. (s) Idem de *Maria*, apud Mosen fra-
 trem in Nilum expositum excubias agente, iudicium
 ferimus. (t) De his *virginibus* vox *almab* (עלמב) le-
 gitur. Quin vero *virginibus* (u) in publicis solenni-
 tatibus tympanizantibus *mixtae fuerint nuptae*, non
 valde dubitamus. Verosimile sane facit Chaldaeus;
 qui per *naschaita* (נשאי), *mulieres*, reddit. Sane Sauli
 atque Dauidi obuiac ab Ebraeo quoque *naschim* (נשם)
mulieres, salutantur. (w) Quid de tribus quatuorue
 rebus illis, quae supra Prouerbiorum auctoris captum
 erant, dicimus? Vtrum vna harum viri vestigium in
puella innupta fuit, an in *adultera nupta*? (x) Non sane
 in *virgine illibata*.

Virginem tamen mauult Vitringa, (y) eamque, in pudicae defectu, *salacem*; quae tur-
 pitudinis suae sibi sola conscia, vt virgo ab insciis ho-

(r) Casaubonus, Exercit. in An-
 nal. Baron p. 106, 107. Grotius,
 in Matth. 23. Haerius, Demonstr.
 Euang. Prop. IX. Cap. IX. cit. Vitri-
 (s) Gen. XXIV, 43.

(t) Exod. II, 8.

(u) Ps. LXVIII, 26.

(v) 1. Sam. XVIII, 6.

(x) Prov. XXX, 19.

(y) Vitri. ad Est. VII, 14.

noretur; & virgo sit ex communi fama, iudicio, & opinione ceterorum. Equidem non ignoramus, esse, quae virgines haberi, quam esse, malunt. Quod vero talem, cuius furtiuos notaret congressus, cum alia vocabula in lingua Ebraea non deessent, *virginem* salutare voluerit scriptor sacer, id nobis vix ac ne vix quidem possumus persuadere. Est hoc cauillari. Decetne magis *virgines* amare regem, (z) an *coniuges* illius & *pellices*? *Reginarum* vero *pedisequae* (a) partim *innuptae*, partim *nuptae* esse solent.

Quo vocis *almah* (אלמה) in sacro codice vsu per-moti, eam per *feminam minus prouectae aetatis* inter-pretari malimus, quam per *virginem*. (aa) Hoc sci-mus, de 1) *virginibus* adolescentulis (b) vsurpatam fuisse. 2) Sed & de *vitiatis*. (c) Vtrum de *nuptis* (d) primi & secundi ordinis vxoribus, dubitamus. Quod de prouectioribus aetate, siue virgines essent siue nu-ptae, negamus.

Iure

(z) Cant. I, 3.
 (a) Cant. VI, 8.
 (aa) Consentit *Munsterus* ad Esa, VII, 14, scribens: " Id frequens est apud prophetas, vt impios celerent mysteria Dei, & piis nihilominus salutare darent consolatio-nes. Eadem ratione nonnunquam ambiguus vtuntur vocabu-

lis. Sicut hoc loco, *אלמה* in- uentula seu puella pro כַּתוּלָה *virgine*. Conf. idem ad Matth. I, 23. Item *Castalio*, & *Erasmus* Annotat. ad Matth. I, 22, 23. (b) Gen. XXIV, 43. Exod. II, 2. (c) Prov. XXX, 19. (d) Pl. LXVIII, 26. Prov. XXX, 19. Cant. I, 3. VI, 8.

D

Iure nos id meritoque negare, ex vocis cognatae *alumin* (עלומים) significatu apparebit. Quae 1) nunc *adolescensiam, iuuentutem*; (e) 2) nunc *delicta iuuentutis* (f) significat. Iam si *alumin* (עלומים) nusquam dicitur *virginitas*, sed *adolescensia*; *almah* (עלמה) quoque non *virgo* erit, sed *puella, adolescentula*.

Vbi Ebraeus *almah* (עלמה) habet; ibi in Alexandrina versione, dummodo vbiq; incorrupta sit, nunc παρθένος (g) legitur nunc νεανία. (h) Fieri non potest, quin alterutra voce rem potius expresserit auctor, quam genuinum vocis Ebraeae significatum.

Chaldaeus semel per *nasbaia* (נשא), (i) *mulieres*, reddit, vbi de tympanizantibus sermo est. Ceteris in locis (k) *ullemah* (עולמה) vel *ullemta* (עולמתא) habet. Quod eiusdem originis ipsissimumque Ebraeorum *almah* (עלמה) esse, quilibet videt. Idem vero *ullemta* (עולמתא) quod Ebraeorum *naarah* (נערה) & *ialdab* (ילדה), *puella*, significat. (§. 8. 9.) Quin vbi in sacro codice *naarah* (נערה) & *bitulah* (בתולה) coniunguntur, Chaldaeus quoque *ullemta* (עולמתא) & *bitulta* (בתולתא) coniungit. (l) Ergo etiam *almah* (עלמה) idem

(e) Pl. LXXXIX, 46. Iob. XXXIII, 25. Per *virginitatem* Esa. LIV, 4. reddi posse videatur. Sed rectius per *adolescensiam*.

(f) Pl. XC, 8. Iob. XX, 11.

(g) Gen. XXIV, 43. Esa. VII, 14.

(h) Exod. II, 8. Pl. LXVIII, 26.

Cant. I, 3. VI, 8.

(i) Pl. LXVIII, 26.

(k) Gen. XXIV, 43. Exod. II, 8.

Esa. VII, 14. Prov. XXX, 19.

(l) E. g. Gen. XXIV, 16. Deut.

XXII, 23, 28. 1. Reg. I, 2. Esth. II,

2, 3.

idem quod *naarab* (נערה) & *ialdab* (ילדה), puella, significat. Iam *Nearoth* (נערוth) recte dicuntur *virgines, virginitates, nuptae, viduae*, dummodo prouectioris aetatis non sint. (§. 8.) Ergo recte etiam *alamoth* (עלמות).

Quodammodo tamen latius significatum vocis *naarab* (נערה) quam *almab* (עלמה) patere ex eo suspiceris, quod quam *viduam* & *primi ordinis uxorem* Ebraeus *naarab* (נערה) appellare non dubitat, eandem *ullemta* (עולמתא) dicere Chaldaeus interpres non sit ausus, Rutham. (§. 8.) (m) Quod si recte fiat; *almab* (עלמה) vocabulum *solis virginibus, virginitatis & pellicibus* erit commune. Nae bella obseruatio est. Accedimus, quamdiu locus non profertur, ex quo intelligatur, *primi quoque ordinis uxorem* a Chaldaeis *ullemah* (עולמה) dici.

Non male quoque monebitur, fieri potuisse, vt Chaldaei interpretis aetate vocis *ullemta* (עולמתא) significatus latius, quam vocis *almab* (עלמה) scriptorum saeculorum aetate, pateret. Potuit sane. Cum tamen non fiat omne id, quod fieri potest; per verosimilitudinis regulas ferendum iudicium erit: nisi vaga se quis ipsum decipere velit coniectura.

Putamus ad inuestigandum genuinum vocabulorum *almab* (עלמה) & *alumim* (עלומים) in sacro codi-

D 2

(m) Ruth. II, 5, 6, IV, 12.

ce significatum sufficere ea, quae supra diximus. Quibus addimus, ex ipsis sacris apparere, quod *naarab* (נערה) & *almab* (עלמה) synonyma sint. Ad puteum stans Elieser, precesque ad Deum fundens, rogat, faxit Deus, ut quae *naarab* (נערה), (n) *puella*, petenti sibi potum sit praebitura, ea sit, quam Haaco coniugem destinaverit. Quas ipsas preces Labani exponens, *almab* (עלמה) (o) eam appellat. Par masculini *elem* (עלם) ratio est. Quem Davidem nunc *naar* (נער) (pp) *adolescensulum*, eundem mox *elem* (עלם) (qq) Saul appellat. Sic Ionathanis seruus nunc *elem* (עלם) (rr) nunc *naar* (נער) (ss) dicitur.

Ebraeorum *alunim* (עלמים), *iuuentem*, Chaldaeus per idem significantia, *zaliu* (גליו), *ulemu* (עלמו), *alimin* (עלימין), reddit. Nunquam per *tribulin* (בתולין), *virginitatem*. Sara, se gravidari & parere posse diffusa, Chaldaeo interprete, dicit (tt) *Egone, quae consensui, iuuentute reflorescam?* Nihil hic de virgine; quae, quamdiu virgo est, neque concipit neque parit. Non vero *vetulae* pariunt, sed *virentis aetatis feminae*. De *almab* (עלמה) diximus.

§. XI.

(n) Gen. XXIV, 14.

(o) Gen. XXIV, 43.

(pp) 1. Sam. XVII, 33, 35.

(qq) 1. Sam. XVII, 56.

(rr) 1. Sam. XX, 22.

(ss) 1. Sam. XX, 21, 35 - 41.

(tt) Gen. XVIII, 12.

Graecorum η demonstrativum idem, quod demonstrativum non
 Graecorum $\epsilon \eta \tau\omicron$, nostrum *the*, Germanorum *der die* das, significare norunt omnes. Fortasse autem non semper certum
 omnes norunt, quod scire tamen possent, non ne- quid definit.
 cessario opus esse (uu) Ebraeorum η & Graecorum
 $\epsilon \eta \tau\omicron$ ad certam aliquam rem definiendam. Contra
 ea vbi adsunt, non semper definire certi quid; sed
 indefinitis, Latinorum *aliquis*, Germanorum *ein eine*
ein, Graecorum *tis*, nostratum *a any*, non raro ae-
 quipollere. Nisi omnes Kifchi asinas perditas fuisse
 statuere velis; primum illud *baathonorb* (האחורב) (ww)
 reddendum erit *asinae aliquae*; nobis, *some asses*;
 Germanis, *Eselinnen*; non, *die Eselinnen*. Eli filiis
 in more positum erat, vt, dum victimarum caro co-
 queretur, venirent *hammasleg* (חמסלג), (xx) *fuscinam*
aliquam tridentem ferentes, a flesh book of three teeb.
 Recte etiam reddit Lutherus, *ein Kreuel*. Ionathan
 tres *hacchizzim* (החצים), (yy) *sagittas iaculaturus erat*.

D 3

Non

(uu) E. g. i. Sam. II, 31: ח'ד'.
 Non male Lutherus reddit, *die*
Zeit. Recte etiam versio nostra *the*
days. Iud. XXI, 16: ח'ע'ח. Recte
 Lutherus, *die Weiber*; & versio
 nostra, *the women*. i. Sam. XII,
 19: ח'ע'ג. Recte Lutherus, *das*
Uebel. Bene etiam versio nostra,
this evil. Hinc in eiusmodi locis,
 pro sua hypothese, nonnunquam
 obseruauerunt Masoretbae, η demon-

strativum adesse debuisse, E. g.
 i. Sam. XIV, 32, ח'ח'ח. addunt ח'ח'ח'
 ח'ח'. Recte versio nostra, *the*
spoil; & Lutherus, *die Ausheute*.

(ww) i. Sam. IX, 3.

(xx) i. Sam. II, 13.

(yy) i. Sam. XX, 20. Adde v. 36:

ח'ח'ח'. Vbi recte quoque versio
 nostra, *in arrows*; & Lutherus, *ei-*
nen Pfeil.

Non reddit Lutherus, *die drey Pfeile*, sed recte *drey Pfeile*. Versio nostra quoque recte, *three Arrows*. Ad quas petendas, *hannaar* (הנער), (zz) *puerum aliquem, a lad, einen Knaben*, missurus erat. Excipias praesentem, cum haec diceret, fuisse puerum istum, quem missurus erat; ad quem digitum intenderet. Non repugnamus. Hoc vero si malis; largiri cogaris; incertos nos interdum relinquere scriptores sacros, quatenam ista res sit, de qua definite loquantur. Sed satis multa praeterea, cui volupe fuerit, colligere poterit exempla, vbi ה nihil certi desinat. (a)

S. XII.

Tertia pers.
Actiui saepe
impersonali-
ter reddenda

Frequentissimis Ebraeorum sermo delectatur *elipsis*. Fuitque illis familiare, vt ipsum propositionis *Nominatiuum* non raro reticerent. Quod a gente breuitatis studiosissima factum esse, vbi ex praecedentibus, de quonam sermo sit, facile intellectū est, non est mirum. At vero dubios nos interdum, hac sua breuitate, relinquunt. *Decumasque illi omnium rerum dedit. And he gave him tythes of all* (b). Quis? Melchisedecus Abrahamo? an Abrahamus Melchisedeco?

Con-

(zz) 1. Sam. XX, 21.
(a) E. g. 1. Sam. IX, 9. וְאִתָּהּ
הָיָה, aliquis, a man. וְאִתָּהּ, la
Secz, bis. 1. Sam. XVII, 34:
וְאִתָּהּ וְאִתָּהּ הָיָה. Esa. XXX, 29:
וְאִתָּהּ. &c. Constat 10. Christoph.

Wolffius. in *Civis philolog.* Et *civis*
ad Matth. I, 23. Et, ad quem ille pro-
vocat, *Hombertius* in *Parergis* fa-
cris p. 5.

(b) Gen. XIV, 20. וְאִתָּהּ הָיָה

Conciderunt ligna currus, vaccasque illas deo in holocaustum immolarunt. (c) Bethsemitae? an Philistaei?

Vnde est factum, vt *tertia singularis impersonaliter* saepe significet, nimirum vbi pronomen *aliquis, quidam, quilibet, & cet.* Ebraeis *isch* (יש) &c. reticetur. Interrogauerat Saul, vbinam Samuel & David essent. *Vaiomer* (וימר) (d) *tum responderunt.* *And one said,* Recte Lutherus, *da ward ihm gesagt,* Respondit praesentium *aliquis.* Sic Esaias: *Vaikra schmo* (ויקרא שמו), (e) *qui nomine vocabitur.* Idem Esaias: (f) *Cum sagittis & arcibus iabbo schammah* (יבא שמה) *eo venietur.* *Eo veniet quilibet.* Nostra versio recte, *men shall come thither.* Recte quoque Lutherus: *dasz man mit Pfeilen und Bogen dahin gehen muss.* Ad plura, possemus autem ad multa, prouocare superfedemus. Vnum hoc tamen silentio praeterire non possumus, sic quoque *impersonaliter* reddenda esse verba Deuteronomii: (g) *Vaikbor otho baggai* (ויקבר אתו בגין) *Sepelinerunt eum in valle.* Cuius si tempestive memores essent interpretes; feliciter tandem aliquando anilis illa Iudaeorum fabula, quod ipse Deus Mosen humauerit, esset explodenda. Miraculo opus non erat; cum non deessent, qui suo huic in Mosen, ducem suum, officio non essent defuturi. Si Mosen cur

Regni Ind.
Iub. Achas.
rege hant.
Iub.

(c) 1. Sam. VI, 14.
(d) 1. Sam. XIX, 22. Sic Num. XI, 22: נָשָׂא בִּישׁוּן 1. Sam. XXIII, 22: נָשָׂא בִּישׁוּן 1. Sam. XXIV, 11: נָשָׂא בִּישׁוּן.

(e) Es. IX, 5: וַיִּקְרָא שְׁמוֹ
(f) Es. VII, 24: וַיִּקְרָא שְׁמוֹ
(g) Deut. XXXIV, 6: וַיִּקְבְּרוּ אֶת מֹשֶׁה בְּעֵמֶק בְּעֵמֶק יַרְדֵּן

cur Christum hūmo ipsum summum numen non
mandavit? (c) Bethelitarum; an Philistinorum;

Regni Iud.
sub Achaso
rege status &
fata.

S. XIII.

Antequam colloqui inter Esaiam & Achasum
regem auditores esse audeamus; quo singula rectius
intelligamus, paucis adhuc inuestigandum erit, quis
rerum tunc temporis fuerit status. *Achaz impius ido-
lolatra* fuit; qui non solum statuis & idololatricis fa-
nis regnum impletet, verum etiam suos ipsius libe-
ros idolis immolaret. (h) *Bello aggressi sunt eum Rhe-
zin Damasci & Pekach Samariae rex.* Qui *Hierosoly-
mam expugnare, regiam Davidis familiam delere, lu-
daeisque, nescimus quem, filium Tabeelis regem dare*
conati sunt. Quod quidem exsequi nequiverunt. (i)
Expugnauit tamen Rhezin *Ornithopolin* (ארת), post
expullos Iudaeos, Aramais, an Phoenicibus? vindi-
candam. (k) Postquam *perniciosissimas Iudaei passi fue-
rant clades;* (l) magna *praeda* multique ex Iudaeis *ca-
ptiui Damascum* sunt ablegati. (m) Non haec sola Iu-
daeorum tum fuit calamitas. Quos, fractas eorum vi-
res videntes, *latrocinis* quoque *Idumaei & Philistaei*
vexarunt, vrbesque complures ceperunt. (n) *Sic ter-
ra lacte & melle abundans in solitudinem fuit conuersa;*
largissimosque eius prouentus extranei rapuerunt. Tan-
tis

(h) 2. Reg. XVI, 2-4. 2. Chron.
XXVIII, 1-4.
(i) 2. Reg. XVI, 5. 2. Chron.
XXVIII, 5-6. Esa. VII, 1. 2. 4-6.

(k) 2. Reg. XVI, 6. 2. Chron.
XXVIII, 3-15.
(l) 2. Chron. XXXVIII, 5.
(m) 2. Chron. XXXVIII, 17-19.

tis implicitus malis, *Tiglath-Pileffaris*, Assyriorum regis, *auxilium* Achaz implorauit. (o) *Disuadenti* hoc *foedas Esaiæ vati non obtemperauit.* Quo monente, vt lumini numinis prouidentiae se suasque res committeret, id se facturum impie negat. (p) *Tiglath-Pileffar*, sollicitante Achaso, huius hostes bello persequens, *regnum Damascenum deleat*, (q) multasque *Galilæae vrbes occupat.* (r) Quâ clade ita *Ephraimitarum regnum* fuit *afflictum*, vt pristinas recuperare nequiret vires. Sed *Pekacho* per suos *caeso*, (s) in 8 annorum *interregno* euncta in deterius ruere coeperunt. Donec paucis post annis huic quoque *regno Salmanassar* Assyrius *finem* faceret. (t) Sed neque Achaso, Iudaeorum regi, diuturna illa felicitas fuit. *Qui a Tiglath-Pileffare*, hostium suorum victore, ipse *argento bellum redimere*, tributumque illi *pendere* fuit coactus. (u) *Quod irruptioni Sancheribi* in Iudaeam sub Hiskia *dedit occasionem.* (w) *Tantis calamitatibus*, vt ad fanio- rem mentem rediret, moueri non potuit Achaz; sed in *regnum* ipsumque summi numinis *templum* multo *maio- rem idololatriæ apparatus inuexit.* (x)

- §. XIV.
- (o) 2. Reg. XVI, 7-8. (p) 2. Reg. XVII, 1-6. XVIII, 9-12.
 (q) Efa. VII, 3-12. (r) 2. Chron. XXVIII, 20, 21.
 (s) 2. Reg. XVI, 7-9. 2. Chron. (t) 2. Reg. XVIII, 13-16.
 XXVIII, 16. (u) 2. Reg. XVI, 10-17. 2. Chron.
 (v) 2. Reg. XV, 29. XXVIII, 22-25.
 (w) 2. Reg. XV, 30.

E

Esa. VII, 10.

His expeditis, ad Esaiam nobis iam aditus pater. Ahasum, inquit, porro alloquens Deus dixit. Impium Ahasum ipse Deus? Deus per Esaiam vatem. Nemo est, qui refragetur. Prouocatque Vitringa ad illud: Admonuit deus Manassen gentemque; (y) per prophetas. Cur vero non idem statuunt de isto: Tum deus Caino dicit: Quid ira acerbe fers, aut cur tibi facies sublatur? (z) In salebras incidet, ex quibus neque se neque alios extricare possit, qui cum Caino ipsum Deum loquentem faciat. Adamum vero si voluntatis diuinæ faciamus interpretem; expedita erunt omnia.

v. II.

Quemnam igitur Ahaso regi a Deo nuncium fert Esaias? Pete tibi miraculum a summo numine deo tuo, siue infernum malis, siue supernum.

Reddimus Orb (ORB) per miraculum, ostentum, prodigium. Hoc enim vocem Ebraeam significare vidimus. (§. 4.) Nescimusque, quid in transuersum agat fere omnes, vt signum, miraculum ominosum, vel portentum symbolicum malint. Suis locis recte ita redditer. (§. 3.) In praesenti, pro sua hypothese, non male quoque a Iudaeis. Ab his vero cur imponi sibi passi

(y) 2. Chron, XXXIII, 10.

(z) Gen, IV, 6-16.

paffi funt Christiani? Non *figno* vel *portento ominoso* opus erat; sed *celeri auxilio*. *Prodigium*, quo hostium vires frangendae sint, regi pollicetur vir diuinus.

Idque a *summo numine* (מעם יהוה) pollicetur. Cuius prodigiosum auxilium opponit incerto humano. Ad *Tiglab Pilleffarem*, inquit, confugere noli, quocum foedus inire paras; (§. 13) sed in summi numinis prouidentia omnem repositam spem habeto.

Addit, *elobecba* (אלהך), *Deo tuo*. *Achasi* pungit *idololatriam*; (§. 13) qua effecerit, vt hostibus ter- gum obuertere iam cogatur. *Hunc te*, inquit, *Deum* auitum vt tuum venerari decebat. *Quem vero* cum tu impie deserueris, te vicissim ab eo deseriri mirari non debes. *Sed patet ad illum reditus*. Ad quem te indulgentissimus *ipse inuitat*; pollicendo, *seipsum*, dummodo ad cultum eius reuertaris, *superbos tuos hostes prodigiöse esse debellaturum*. *Ne vero, casa* id factum esse, tui praetendant *sacrificuli*; optionem eligendi tibi facit, quale malis *miraculum*, ex *terrae visceribus*, an ex *coelo*.

IVX 2

Schealab (שאלה), *petendo*, reddere mauult *Virringa*; (a) vt *insinuatius* sit cum ך paragogico. Sed nos illis

E 2

(a) *Virringa*, ad Efa. VII, II. Qui Ita quoque *Munsteris*, ad *Kimchi* consensum prouocat.

illis (b) accedimus, qui nomen *scheol* (שְׁאוֹל) cum *ה* locali malunt. Vitrinae rationes, nihil efficiunt. Nobis vero *comptior oppositio* videtur: *haamek schealab* (הַעֵמֶק שְׁאוֹל) demittendo te in terrae viscera: & *hagbeh lmaalah* (הַגְּבִיחַ לַמַּעְלָה), ascendendo sursum. Quia sic Verbum Verbo, & Nomini Nomen, opponitur. Sunt vero *scheol* (שְׁאוֹל), non infernus, non sepulcrum, non status mortuorum, non ipsa terra, eiusque superficies; sed terrae viscera. Quale vero ex terrae visceribus prodigium? Quale electurus esset Achaz rex. Multa enim sunt. Terrae motu altera *Korachi* coniuratorum pars perit. (c) Sub cineribus, quos Vesuvius euomuerat, sepultum *Herculaneum* est.

His similibusque ex terra erumpentibus prodigiis opponuntur illa, quae ex coelo descendunt. *Fulguribus* & *fulminibus* deletae *Sodoma* & *Gomorrha* sunt; (d) perierunt *Aegyptii* ad *Sirbonidis lacum*; (e) altera *Korachi* coniuratorum pars; (f) *Philistaei*, *Samuelis* precibus. (g) *Grandine* *Iosuae* ad *Gibeonem hostes*. (h) *Coelitus* quoque *Siserae exercitus* fuit oppugnatus; nisi figurata illa in *Deborae carmine* (i) sint.

§. XVI.

(b) *Schmidio, Grotio; cit. Vitrina. Ita quoque vulgata Latina, Forerius.*

(c) *Num. XVI, 30-33.*

(d) *Gen. XIX, 24, 25.*

(e) *Exod. XIV, 24-25.*

(f) *Num. XVI, 35.*

(g) *1. Sam. VII, 10.*

(h) *Jos. X, 11.*

(i) *Iud. V, 20-22. Dei quoque*

fulmina & imbres v. 4, 5. coneelebrantur.

§. XVI.

Ad haec quid Achaz? *Non petam, inquit, neque rem cum summo isto numine aggrediar.* Dei providentia se niti velle negat. v. 12.

Verba, *vlo anasseh eth Ibovah* (ולא אנסה את יהוה), multum interpretibus negotii facessunt. Reddunt vulgo: *Neque Deum tentabo.*

Triplicem haec verba spirare posse sensum, non male monet *Vitringa*. (k). Non male; dummodo eligendo felicior esset. 1) *Credentem adulum & in fide fati confirmatum* his verbis uti posse, certum est. Sed Achasum, cuius de incredulitate fati constat, talem fuisse, recte negat *Vitringa*. 2) Non magis illi eorum placet sententia, qui *impii profani, signum repellentis*, verba faciunt. Hominem enim *profanum Achasum non putat; sed superstitiosum*, qui praeter summum numen plures deos credens, neque hos sibi negligendos esse putaret. Quid igitur superest? 3) *Hypocritae modestiam simulantis* verba esse contendit. Qui se, istorum, *summum numen deum vestrum ne tentate, quemadmodum tentastis apud Massam*, (l) probe memorem, signum a Deo petere non audere simulaverit. Quo pietatis & in summum numen *reuerentiae velo*

E 3. *veras,*

(k) *Vitringa*, ad h. l.

(l) *Deut. VI, 16.*

veras, cur signum petere nolle, *palliare* studuerit *causas*,

Non iam de eo disputabimus, vtrum *gravius* crimen sit, si *profanus* quis sit, an si *hypocrita* *superstitiosus*. Profanum non valde timemus. Superstitioso autem hypocrita non perniciosius hominum genus est. Quid, quaeso, fieri profanum potest, quam summum numen decipere velle? Id vero conatur, qui simulata modestia contentum palliat. Talem autem se gefisse *Achafum*, *parum verosimile* facit *idololatria* eius in vulgus nota, & illa *in templum* summi numinis *irreuerentia*, vt idoli aram in eo extruere non dubitaret. (§. 13) Neque latere eum poterat, *non tentare deum* qui ab illo ipso *oblatus amplectatur auxilium*; sed qui *repudiet*. Vide, quae hac de re supra (§. 6) diximus.

Alienissimam, quae ne quidem refelli mereatur, eorum *explicationem* esse *Virringa* pronunciat; qui hunc in modum verba Achasi interpretentur. (m) "*Non faciam periculum Iehouae, committendo ei exitum huius belli, & interea vaecorditer quiescendo. Sed ipse mihi de defensione prospiciam.*" At vero, quae non possunt, ea refelli saepe non merentur. Quare nos his viris, quo-

(m) *Aben-Esra*: Ex responsione prophetae intelligitur, quod verba Achasi in malam partem sint accipienda, hoc sensu: Nolo petere & periculum facere; quoniam scio, cum id; quod ab illo petiero, efficere

non posse. *Grotius*: Nolo Deo molestus esse; quae dicit, plane *incredibilia sunt*. Vid. erit Sac. Tom. IV. Sic quoque *Altingius*, ad Esa. VII, 12; *Parallelism.* p. 20. 21.

quorum *verosimillima* omnium nobis videtur *explicatio*,
accedimus. Non enim deesse loca, in quibus *nissab*
 (נסב) idem significet, supra (§. 6) docuimus.

Achaz ratus, *securus* esse, ut *Tiglath-Pileassar*,
 quam summi numinis, *opem* imploraret; se huic prae-
 ferre illam, *impie* profiteretur. Quod *plures* euomuerit
blasphemias, *verosimillimum* est. Non enim omnes
 exponere scriptores solent *circumstantias*. Ex sequen-
 tibus appareat, fuisse in iis *querelam*, quod illud *E-*
saiæ summum numen genti quidem *Israëliitarum terram*
lacte & melle abundantem promiserit; *vorare* autem haec
hostes & latrones. Iam satis diu se audiuisse ex *Esaia*
 de auxilio sibi ab hoc deo ferendo. Has vero cum
 non nisi *nugas* esse intelligat; *superesse*, ut ipse sibi
 consulat. *Non diutius*, inquit, *cum deo periculum adi-*
bo. *Non aggrediar rem cum deo.* (n) Profane *blaspheme-*
mam *voce*m!

§. XVII.

Quam *seuerissime*, ut merebatur, *castigans* *Esai-* v. 13.
as: Audite, inquit, *Dauididae*. *Parumne* vobis est *offen-*
disse *homines*, nisi *offendatis etiam Deum meum?*

Iratus

(n) Si quis tamen *verbum* *nissab*
 (נסב) per *renare* reddere malit;
 is eam *tentationis* *dei* *speciem* in-

telligat, de qua *Christus* *Matth. IV,*
7. loquitur. *Conf. §. 6.* *Eodem-*
que *res* *redibit.*

Iratus vir diuinus, non Achasum alloquitur; sed omnem ex Dauide ortam familiam. Indignantis enim & exprobrantis verba haec esse, quis non videt? In innocentes autem, propter vnus Achasi crimen, quid inuehitur propheta? Minime vero in innocentes. Quid igitur commiserant ceteri? Putat Vitringa, mala cognatos Achaso regi suppeditasse consilia. Id quod negare nos quidem non possumus. Sed nec fingere volumus; cum nesciamus. Tutius illuc nos conuertimus, quo ipse vates digitum intendit. Ad imprudentem Salomonis filium Rehabeamum. (o) Cum huius enim Achasi se comparare impudentiam, vt appareret; paulo post (p) Epbraimitarum a Iuda secessionis mentionem facere videtur.

Significat *laab* (לאה) laborare, defessum esse, defatigari. Sed & suis locis, aegre ferre, stomachari. (q) Sic *bilah* (הלאה), laborem creare, fatigare, molestiam exhibere. Sed &, facere vt quis aegre ferat, offendere, patientia & longanimitate alicuius abuti, stomachum cui mouere.

Quinam vero per familiam Davidis offensi fuerunt homines? Sunt qui ita interpretantur: *Paruumne vobis est, prophetarum verbis morem non gerere, vt neque ipsi deo morem geratis?* (r) Quos Vitringa refutat, con-

(o) 1. Reg. XII, 1-16.

(p) Esa. VII, 17.

(q) E. g. Iob. IV, 1.

(r) In quibus Piscator est; cit.

Vitringa. Eodem fere modo *Vatablus, Castalis & Chaldaea paraphrasit.*

contendens, prophetas non nisi dei nomine fuisse loquutos, adeoque qui prophetis morem non gesserint, eos neque deo gessisse; quae tamen duplex pertinaciae species ut minus & maius sibi hic opponantur. Equidem probatione indigere censemus, quod prophetae nunquam nisi speciali diuino afflatu salutaria iuaserint. Neque tamen eo magis ita haec interpretantibus accedimus.

Rectius, ut videtur, *Vitringa*: *Parumne vobis videtur, si prophetis morem non geratis? At vero, his non parendo, ipsi deo morem gerere detrectatis.* Ne existimes, te, fidem non habendo verbis meis, in me peccare. In deum cadit haec iniuria. Profecto non displicent haec.

Verò tamen similior ea, quam nunc promemus, nobis esse videtur interpretatio. Fuit iam quondam in vobis, qui *decem tribuum homines* dementi ratione offendit, *Rehabeamus*. Qua re effectum est, ut, deficientes ab illo, suum ipsorum sibi regem crearent. Hunc tu, *Achase*, dementia superans & impudentia, ipsum summum numen pessime offendere non vereris. Quare illud *elobecha* (אלרד) deum tuum appellare defino; & *elohai* (אלהי) deum meum appello. Stant in regni tui limitibus hostium exercitus, quibus animus est, regno te exuere, tuamque delere familiam regiam. (§. 13) Offert tibi summum numen, quod pro-

(et) Ita quoque *Forerius*.

F

prodigio hos delere velit, tibi que cum civibus pristinam reddere felicitatem. Quis, nisi vecors, tantum respuat beneficium? Tu id imprudentissime facis & impudentissime. Dignus, qui & regno ab hostibus & vita exuaris, cuiusque eliminetur familia. Quid Tiglath-Pilestaris, cuius tu divino impie praefers, tibi profuturum fit auxilium, videbis. Sero non solum Phryges, sed & Achafus sapiet. Hae divini vatis in his minae latent dirissimae.

§. XVIII.

v. 14-16. vulgaris christianorum. explicatio.

Antequam sanctissimi vatis nos vestigia ulterius premamus; praemittere lubet, quomodo ea, quae sequuntur, vulgo explicentur. *Tria commata sequentia de uniuersi huius seruatore fere omnes explicant Christiani.* Qui ex recentioribus & celebrioribus est; omnium nomine loquatur Vitringa:

Propterea ipse Dominus vobis dabit signum. Ecce virgo (s) concipit & parit filium, & vocabit nomen eius Im-

(s) Concipere nequimus, quid Vitringa cum *virgine sua certa, ἀεισιμένην*, cui propheta, haec verba enuncians, mente & cogitatione sua intentus fuerit, sibi velit. Noueritne Esaias matris Domini *parentes, nomen, formam, staturam, & cetera*, quibus opus sciti est, vt personam hanc ab illa discernere

possis? Profecto Iudaeorum causam agit inscius & inuitus. Praefixum ἵν' vocis (ἵνα) *indefinitè* significare posse, §. II. diximus. Recte Lutherus, *eine Jungfrau*; & versio nostra a *Virgin*. Eiusmodi emphasis fictis turpiter se dare solent multi.

Immanuel. Butyro & melle vescetur, donec nouerit spernere malum & eligere bonum. Nam antequam hic puer nouerit reprobare malum & eligere bonum; deferretur haec terra, propter cuius duos reges aegre tibi est.

Luc. 1. 40

Nascendum hunc ex virgine Immanuellem esse Iesum Nazarenum strenue propugnant christiani; neque male id quidem faciunt. Multa vero contra hanc interpretationem dubia in medium proferunt Iudaei. Quorum nonnulla adeo solutu difficilia sunt, vt Christianorum aliqui, (t) quos ferarum instar in aduersarios ruere puduit, cedere, quam quae ipsi conciliare nequirent obstinate defendere, consultius iudicauerint. Male illi quidem. Cum non interpretum, sed Esaias verba defendi ab illis debuissent. Quenam igitur illa tam ponderosa Iudaeorum dubia sunt? Omisiss leuioribus, (u) grauiora proferemus.

F 2

§. XIX.

(t) Vt Grotius, ad Esa. VII, 14. & Matth. I, 22. Qui duo huic puero, de quo Esaias vaticinatur, Christi typos, nomina, Immanuelis, & Maher-Schalal-Hasbaz, fuisse putat. Item Pellicanus; cit. Vitringa, Obseru. sacr. Lib. V. Cap. I. §. 3. In his quoque Castalio est, ad Esa. VII, 13. IX. Clericus duplicem vaticinii huius sensum statuit; Grammaticum de puero aliquo Esaias aetate breui in lucem edendo; Mysticum de Christo seruatore. Vid. illius Commentaria ad Esa. VII, 14. & ad Matth. I, 22, 23.

(u) Huc referimus illa: 1) Quod *binneh* (בִּנְיָהּ), ecce, arguat rem praesentem. De re post multos demum annos euentura legitur I. Sam. II, 31. Non deerunt loca plura sedulo inuestiganti. 2) Quod *barab* (בָּרַב) grauida, designet tempus praesens. Nomen est, quod certum tempus non designat. Si Iudaei verbum, est, suppleant; nos, erit, supplebimus. Par participii *violenter* (וְיֹלֵדֵיבָרַב), edentura, ratio est. Vt I. Sam. II, 31: *haim* (חַיִּים) ventura, I. Sam. XXIII, 4: *nothen* (נֹתֵן) daturus.

§. XIX.

Dub. I. Iud.

Iesu Nazareno, inquit, *Inmanuelis nomen*, quod hunc puerum superbire debere *Esaïas dicit*, non fuit *impositum*.

At vero hoc dubium tanti non est. Non ignorant Iudaei, familiare suae gentis hominibus esse, ut nomen, non quo appellandus sit, sed quod exprimat qualis quis vel sit vel futurus sit, illi imponendum dicant. Mereri eum, qui hoc nomen gerat. Noluit Ruthae socrus nomen mutare, & loco *Noomi*, appellari *Marah*. (w) Sed significat, fatis suis, quae amarissima sit experta, hoc nomen verius, quam quod fausta significans gerat, convenire. Multa in medium proferre possemus similia. (x) Sed ne quid excipi possit; ad sola ea, in quibus discrete *nominis* (נש) mentio fit, prouocabimus. Eidem puero, quem hoc loco *Immanuelem* appellandum dicit, *Esaïas* alibi *quinque nomina* tribuit. (y) Idem, *Hierosolymae*, propter pietatem & sereniora fata, *nouum* imponendum esse nomen, vaticinatur. (z) Nomen *oleae viridis fructibus speciosissimis pulchrae* deum genti suae imposuisse, dicit *Ieremias*.

(w) Ruth. I, 20.

(x) E. g. Esa. I, 26. XXXV, 8. XLVIII, 8. LIV, 5. LVI, 7. LVIII, 12. LX, 14, 18. LXI, 3, 6. LXII, 4, 12. Ier. III, 17. XIX, 6. XXXIII, 16. Ezech. XXXIX, II. Hose. II, 18.

Zach. VIII, 3. Malach. I, 4. Pf. LXXXIX, 27. &c. *Nominis* (נש) discrete mentio fit Esa. XLIII, I.

(y) Esa. IX, 5.

(z) Esa. LXII, 2.

mias. (a) Idem pollicetur, germini iusto ex Davidis stemmate, nomen *Dei iustitiae nostrae* esse imponendum. (b) Par ratio nominis *Immanuelis* hic est. Talis, inquit, est futurus, ut *Immanuel* dici mereatur. Non iam virgemus, quod *Iesus* (יֵשׁוּעַ) & *Immanuel* (עִמָּנוּעֵל) synonyma sint. *Servator* (שׂוֹמֵר) enim efficit, ut intelligamus, nobiscum esse Deum (עִמָּנוּעֵל). His igitur abunde satisfactum esse Iudaeis, confidimus.

§. XX.

Excipere pergunt Iudaei, nihil rei esse *natiuitati* Dub. II.
Messiae cum liberatione Achasi ab hostium iniuriis, quam illi pollicitus fuerit *Esaïas*.

Ad quod hac paraphrasi responderi posse confidunt *Christiani*: (c) *Messiae* natiuitas tibi, o Achase, *signum* iam non delendae regiae *Davidis familiae*, ex qua ille originem trahet, & non subuertendi regni *Iudaici* erit. Hac enim in liberatione per *seruatorem* mundi omnium maxima cum omnis minor *fundata liberatio* fit; fallere non potest *promissum Dei* de liberatione *minori*, quamdiu illa *omnium maxima*, omnisque diuinae *benetolentiae* fundamentum, *consistit*.

Tam longe haec sunt petita, ut *cordatus Christianus*

(a) Ier. XI, 16.

(b) Ier. XXIII, 6.

(c) Vid. *Virringa* ad *Esaï*, VII.

F 3

14. Conf. *Surenhusius* in *βιβλ. κ. κ.*
καλλωγης ad *Matth.* I, 22, 23.
pag. 159, 160.

fianus non possit non confiteri, qui solidi quid nequi-
 rent, hos aliquid tamen voluisse respondere. *Quasi*
 vero Achafus maiorem maiori illi, quam minori, quam
 pollicitus fuerat vates, *promissioni habuerit fidem*. Pro-
 missionibus autem diuinis qui fidem habet, is non minus
 minori, quam maiori, quin hac non extante, habebit.
 Possitne vero maiori quem, cui minus neget, non afficere
 quis beneficio? Deletum regnum Iudaicum per Nebucad-
 zarem est, non obstante natiuitate Messiae, qui suo
 tempore ex hac gente prodit. At *Dauidis familiae*,
 ex qua originem trahere debebat, extirpari nequiuit.
 Recte de quo deinceps fusius dicitur. *Signum tamen*
 illius conferuandae futura *Messiae natiuitas Achaso esse*
 non potuit.

Dub. III.

Hinc recte Iudaei: *Signum praecedere debet rem*
 per id significatam. Adeoque Iesus multis post seculis
 demum natus non potuit esse Achaso signum liberationis
 praesentis sibi promissae.

Ad hoc & praecedens dubium confiteri cogitur
 Vittinga: (d) "Imo sane est hic in quo carnalis homo possit
 haerere." Addit tamen illis, quae supra (§. 20) ex illo
 iam excerpimus: Id (de liberatione maiore per Mes-
 siam promissum) ita proponit piis, ut, licet implemen-
 tum longius adhuc abesset, considerari & in fide credi

(d) Vittinga, ad Eccl. VII. 14.

ae videri velit tanquam praesens; perinde vt alia signa, (e) certo euentura post aliquod tempus, tanquam praesentia ad confirmationem fidei exhibentur.“

At vero est hic, in quo homo quoque sana ratione, quae fidei non repugnat, praeditus haereat. Fantatici est, vt praesentia sibi repraesentare futura. Fidelis autem a Deo promissa vt certissime suo tempore futura sibi repraesentat. Manetque dubium, quod signum, nisi nudum mnemosynon sit, praecedere debeat rem per id significatam. Excutiamus autem cetera illa, ad quae prouocatur, signa; quae post aliquod tempus euentura, tanquam praesentia ad fidei confirmationem exhibita dicuntur.

Mose tergiuersanti animum additurus Deus: (f) At, inquit, adero ego tibi. Atque hoc erit signum, quod a me te esse missum, quod, posteaquam populum ex Aegypto eduxeris, Deum hoc ipso in monte colere mouebimur. De Israelitis in libertatem vindicandis dubitare vetat. Hos vero, si nunc penitus conuinci nequeant, quod vir diuinus Moses sit, per ea conuictum iri promittit, quae ad Sinus montanum visuri prodigia sint, id euentura, vt ad auitum sui redeant cultum. En! argumentum conuictione non posterius, sed prius. Conuincendi.

(e) Exod. III, 12. I. Sam. II, 34. Eia. XXXVII, 30.

(f) Exod. III, 12.

gendi ad Sinai montanum erant, vt Mosen *deinceps* virum diuinum haberent, cui promptius parerent.

Summam *Eli* pontificis posteris miseriam & paupertatem minatus fuerat vir diuinus. Subiungit: (g) *Cuius rei signum hoc habeto, in tuis duobus filiis Chophni & Pinchaso euenturum, vt ambo eodem die moriantur.* Filiorum caedes, qui ipso viuo in acie perituri, conuincere patrem debebat de serorum posterorum miseria.

Similia signa erant, quae *Sauli* a *Samuele* domum reduci in via erant euentura. (h) Per quae is conuincendus, quod regno sit potiturus.

Superest illud *Esaiae*: (i) *Tu vero, Hiskia, hoc signum habeto. Vescemini hoc anno sponte succrescentibus.* &c. Nobis perinde est, siue signum quis malit, siue miraculum. Si signum; *Sancheribi* clades sequitururae huius rerum copia signum erat futura: non haec illius. Sin miraculum; male ad hoc prouocatur.

§. XXII.

Dub. IV.

Ex v. 16. cogunt *Iudaei*, quod *Inmanuelis* natiuitas praecessura sit desolationem regni *Damasceni* & *Ephraimitici*. Ex quo manifestum sit, quod de *Iesu Nazareno*, multis post seculis nato, non sit sermo.

Ad

(g) 1. Sam. II, 34.

(h) 1. Sam. X, 7, 9.

(i) *Esa.* XXXVII, 36.

Ad haec *Vitringa* (k) "Non connectuntur illa cum *natiuitate Immanuelis*, sed cum *liberatione terrae* a praesenti malo, cuius *liberationis* argumentum & signaculum haberent pii in *Immanuele*, ex *virgine nascituro*."

Vt refutatione superfedere possimus, beneuolum lectorem haec cum ipsius *Vitringae* versione (§. 18.) conferre iubemus.

Nos vero rectius negare posse, quod ad *Immanuelem* haec spectent, suo loco docebimus.

§. XXIII.

Si puer hic, porro instant *Iudaei*, *Iesus*, post multa demum secula nascendus, sit, cur non potius dicitur *vates*, *regna*, *Damascenum* & *Ephraimiticum*, quod paucis post editum hoc vaticinium annis factum est, *deletum iri ante eius natiuitatem*, quam antequam ad discretionis adolefceret annos?

Dub. V
Dup. IV

Id *Esaïam* velle, *Vitringa* contendit: (l) *Cerum* habetote, non plus temporis lapsurum ab hoc, quo haec *Dei* nomine promitto, temporis momento ad *desolationem* vtriusque vos iam prementis regni, *Samaritani* & *Damasceni*, quam inter *Immanuelis* huius *natiuita-*

(k) *Vitringa*, ad *Esa.* VII, 14.

(l) *Vitringa*, ad *Esa.* VII, 16.

G

uitatem & annos discretionis vel prudentiae intercedet. Quod ne cui absonum videatur; addit, pium vatem Immanuelem vt praesentem, vt isto tempore iam conceptum & mox nasciturum, sibi proponere. Quae una clavis huius oraculi recte interpretandi sit.

At vero debilia haec nobis esse & imbecillia non desunt. Et ad recludendum, quod debebat, vnica illa, quam tantopere committat, clavis inepta est. Non vitio damus Iudaeis, si eiusmodi Christianorum rideant argutias. Quis non videt, de puero tunc temporis vel nato vel nascendo loqui Esaiam? Quis ita loquitur? Quis ita interpretetur?

§. XXIV.

V. doct.
Dub. VI.

Quaerimus denique cum Iudaeis: Quid sibi vult varicinium de butyro & melle ab Immanuele, si is Iesus sit, comedendo? Infantiae anni designari nequeunt; quia tam adulti, quam infantes, iis vescuntur. Sin de rerum copia & abundantia Iesu seruatoris aetate interpretaris; quid inde Achaso tuaeque aetatis hominibus solatii?

Ex his vt se extricent, non vniam omnes viam ingrediuntur. Sunt qui opinantur, (m) prophetam his de-

(m) Vid. Vittinga ad Esa. VII, 15. Munsterus figurate butyrum & mel de doctrina sacra (1711) interpretatur; cuius Iesus puer, magistro non indigens, peritus iam sit fuerit. Simul tamen de eo expli-

cat, quod verus homo sit futurus. De humana quoque Christi natura, Vatablus, Clarius, Forerius, ad Esa. VII, 15. Calixtus Concord. Euang. ad Matth. I, 22, 23. pag. 44.

demonstrare voluisse, quod seruator non solum *Immanuel* (אֱמָנוּאֵל) *verus Deus*, qui cibo non utatur, verum etiam *verus homo*, qui butyro & melle vescatur, sit futurus. Quibus *Vitringa* recte opponit, de eo pius non magnam dubitandi rationem habuisse, per eius ortum & natiuitatem ex virgine hac de re satis conuincendos.

Mystice & tropice, de *Donis vnionis personalis & communicatione idiomatum*, accipiunt alii. (n) Non male *Vitringa*, mysticas hasce explicationes in veteribus acquiri, quam in recentioribus, ferri.

Alii (o) de eo verba explicant, quod ad incitas redigenda regia *Dauidis familia* sit, vt ex illa proditurus *Immanuel communi & viliori victu*, lacte & melle, vitam sustinere cogatur. Sed quid hoc ad *Achafum* eiusque aetatem?

De copia rerum & abundantia accipit *Vitringa*, (p) in qua educandus *Immanuel* sit, ad tempus vsque vius rationis. Quae quidem deinceps imminuenda non sit. Sequentis autem aetatis non meminisse vatem, quod ad scopum non faceret, vt ex commate pateat sequente. At vero neque sic ad scopum facit. Non magis enim rerum copia seruatoris nascendi tempore *Achafum* & coaeuos consolari, quam inopia terrere, poterat.

G 2

§. XXV.

(n) *Schmidius*; citante *Vitringa*.

(o) *Altingius* in *Parallel*. p. 32.

(p) *Vitringa*, ad *Rsa*, VII, 15.

v. 14-16. In-
dicatorum ex-
plicatione.

§. XXV. *Iudaei contendunt, vaticinari Esaiam de puero breui in lucem edendo; cui pro bono omine Immanuelis nomen imponere iubeat. Quoniam in illius iam pueritia, qui nunc Iudaeam omnibus exuant bonis, Syri & Ephraimitae, regno & potentia sint exuendi. Quam explicationem nihil absurdi habere; non possumus non confiteri. En illam!*

Praeterea ipse Deus vobis dabit signum. Ecce! enim haec femina grauida filium pariet; cui Immanuelis nomen illa imposito. Is butyro & melle ante vescetur, quam malum fugere & bonum sequi didicerit. Ante enim quam hic puer fugere malum; & bonum sequi didicerit, desolata iam erit ista terra, cuius cum duobus regibus tu oditis certas.

Omnia tam pronò alueo fluunt; vt huic subscribere explicationi non essemus dubitaturi; nisi per Matthaeum edoceremur, hunc Esaiæ Immanuelē esse Iesum Christum; orbis seruatorem. Vnde factum est, vt Christiani nonnulli, (q) vulgari Christianae, quam insuperabilibus impeditam scopulis viderent, hanc praefereutes, Matthaeum cum hoc Esaiæ Immanuelē Iesum tantummodo comparasse censuerint. Non vero opus esse, vt victas Iudaeis manus demus, deinceps docebimus.

Ante
(q) Vt Græuius, Pellicanus, Costalio.

Ante vero, quam id faciamus, Iustranda erunt *dubia*, quae huic Iudaeorum explicationi opponere solent *Christiani*.

§. XXVI.

Almah (עלמה), inquit, non potest exponi de *nupta*. Praeter Mariam autem nulla unquam *virgo peperit*. Ergo non alius, nisi *Iesus Christus*, *Esaiae* potest esse *Immanuel*. Dub. I.

Verò non dissimilis Iudaeis, si vera haec essent, exceptio per ea non eripitur: *Ecce! femina haec, quae virgo adhuc est, breui nuptura gravidabitur & filium pariet*. Opus vero non esse, ut illuc confugiant, ex supra dictis (§. 10.) apparet. Si non de *primi ordinis uxore*, de *pellice* saltem, vel *Achasi* regis, vel alterius cuiusquam, loquatur propheta.

§. XXVII.

At designare hanc *feminam* eiusque *filium* nequeunt *Iudaei*. *Hiskias*, iam ante natus, non potest hic *filium* tum demum nascendus esse. Non alius *Achasi* filius; non ex *sua* illius *nepos*; non *Esaiae* vatis *filius*; non denique *feminae* de vulgo *filius*, intelligi potest. Nullius enim horum *terra* dici potest *Iudaica*; sed solus *Achasi* regis, & in regno illi successuri *Hiskiae*. Haec vero *Immanuelis terra* (ארץ עםנו אל) saluta-
tur. (r)

(r) Esa. VIII, 8.

Quod *Hiskias* non sit nascendus ille *Immanuel*, certum est. Qui annos 25 natus ad regnum peruenit; (s) cui *Achas* pater non nisi 16 annis praefuerat. (t) *Ceterorum* autem nemo per istud argumentum excluditur. Reddamus: *Patriam tuam*, o *Immanuel* (ארצך עמנו ארל). *Ionam* interrogantes nautae, (u) *mab arzcha* (מה ארצך) non sciscitabantur, cuiusnam terrae vel rex vel princeps haereditarius esset; sed quamnam haberet patriam. Similia multa sunt. (w)

Quid opus vero est, ut certas *Immanuelis* matrisque personas designemus? respondebunt *Iudaei*. Sufficit, ut non ignotae illae *Esaiae* coaetaneis fuerint.

§. XXVIII.

Dub. III.

Hoc denique dubium mouent *Christiani*: *Signum prodigiosum Achasum petere iussit propheta*. Non igitur hic quoque de alio quam prodigioso signo sermo esse potest. Nisi vero de partu virgineo sermo sit; quale signum prodigiosum?

Itane vero satis recte infertur? *Signum prodigiosum impie contemserat Achasus*. Dedit ergo Deus non

(s) 2. Reg. XVIII, 1, 2. 2. Chron. XXIX, 1.

(t) 2. Reg. XVI, 2. 2. Chron. XXVIII, 1.

(u) Ion. I, 3.

(w) E. g. Gen. XXIV, 4. XXX, 25. Num. X, 30. Iud. XI, 12. 1. Reg. XXII, 36. Esa. XIII, 14. Ier. XII, 15. L, 16. LI, 9.

non nisi ominosum, in poenam. Est vero etiam aliquid prodigiosi in eo, quod foetum, nondum natum, masculinum futurum vates certo praenunciare posset. Res stupenda erat excidium potentissimorum hostium tam propinquum. Non minus stupendum, quod tanta cum fiducia vir diuinus polliceri illud poterat.

Pro Iudaeis diximus, quae dici & potuerunt & debuerunt. Age! exponamus, cur victas illis manus non demus.

§. XXIX.

Nobis *Iesus* orbis seruator *Esaiae Immanuel* est. v. 14. Explicatio nostra. Ita vero, vt non nisi unicum de illo comma interpretemur. Id quod hunc in modum facimus:

Quare eder in vobis ipse Deus miracula. Ecce! virgo vterum geret & pariet filium. Cuius tu nomen vocato: Immanuel.

Lachen (לחך) *propterea.* Quoniam tu, o Achase, tam impudens es & obstinatus, vt oblatum a Deo miraculum petere nolueris. *Indignantis* haec particula est: Non obstante eo, quod, quae in hoc commate sequuntur, quam maxime sunt salutaria.

Och (אח) non per signum reddimus, sed per miraculum, prodigium. Vocem enim hanc id significare, & *nathan och* (נתן אה) *edere miraculum*, supra (§. 4. 5.) docuimus. Qua ratione *Dub. III. Iudaeorum*

§. 21.

(§. 21.) *concidit.* In maximis autem partus virginis miraculis est.

Enallage numeri est. Quare per *Pluralem* reddimus. De pluribus enim prodigiis vaticinaturus erat vir diuinus; de remotissimo partus virginis, & paulo post futuris vindictae ab impiis Israelitis & Iudaeis sumendae.

Fortasse significaturus, non de sola Achasi aetate se loqui, sed praeterea partim de rebus post obitum eius, partim post multa demum secula euenturis; non Achasum alloquitur *leba* (לְבָא) tibi; sed vel vniuersam David familiam, vel gentem Iudaicam, *Iachem* (יָאֲחֵם) vobis, dicendo.

Per *almab* (עַלְמָבָה) virginem intelligi posse, nec negare possunt Iudaei, (§. 10.) nec negant. Hoc vero loco intelligi debere negant: quia illibata virgo nec concipere possit nec parere. Per leges naturae id fieri non posse, scimus. Quocirca tamen illam Dei virtutem, qua omnia quae contradictionem non inuoluunt, efficere potest, non magis in dubium vocant Iudaei quam Christiani; quam primum noui foederis scriptis eandem, quam veteris, diuinam auctoritatem tribuere coeperint, de hac quoque eorum incredulitate triumphabimus.

Vkarath (וְקָרָאת) *tertia* (x) & *secunda persona feminei generis* esse potest. Vtram eligas nihil interest.

Præ-
 (x) More Chaldaeorum. [E. g. 21: פְּרָצְוִי. פְּרָצְוִי. פְּרָצְוִי. 23: נְפִלְתָּ.
 Deut. XXXI, 29: וְקָרָאת. Lev. XXV,

Præferunt alii tertiam. Nos secundam : quia huius hæc forma Ebraeis frequentior, quam illius, est. Emphatica igitur ad Mariam apostrophe est. Cuius tu nomen vocato Immanuel. Id est, Noli dubitare, eum te peperisse, qui salutem restituet generi humano.

Immanuel (אֱמָנוּאֵל) enim Iesus non solum propter diuinitatem suam dici meretur, verum etiam propter summa in nos collata beneficia. Dubio I. Iudæorum, quod Iesu Nazareno, hoc nomen, vt proprium, non fuerit impositum, iam supra (§. 19.) satisfacimus.

Sed quid hæc ad Achasi cum Syris & Emphraimitis bellum? Multum profecto. Regnum Iudaicum vna cum regia Davidis familia extirpare conabantur acerrimi hi hostes. (§. 13.) Inuectiua tam acerba in Achasum usus fuerat vir diuinus, vt, si disertis id verbis non diceret, tecte tamen suggereret, mereri Achasi impudentiam, vt voto suo potiantur hostes. (§. 17.) Non poterat non pios & fideles hoc terrere. His vt animum adderet propheta: Nolite timere, inquit, vsque eo diuinam progressuram vindictam, vt Davidis familiam subuerti patiatur. Illam manere necesse est. Quoniam ex illa vniuersi huius seruatores est proditurus. Hac ratione non inepte ad Dub. II. (§. 20) suum responsum esse, Iudæos confessuros confidimus.

Laeta hæc sunt. Sequuntur tristia.

§. XXX.

Praemissis his in piorum consolationem, ad minas redit, & a remotissimis nascendi Messiae ad sua reuertitur

H

v. 15.

uersus tempora, subiungit: *Butyrum & mel comedetis; ut discatis fugere malum, & praeferre bonum.*

Chemah (חמאה), praeter butyrum, cremorem quoque lactis significare, lubentes viris doctis (y) largimur.

Debaseb (דבשב) *mel*. Apum? palmarum? an alius *dulcis succus*? Sacchari enim arundinem Palaestina quoque alit. (z)

Iocheb, (יאכל) *comeder*. Non *Immanuel*. De Iesu enim haec accipi nequire, supra (§. 24.) vidimus. Ergo *alius* vel *alii*. At vitio vertit *Tremellio*, *Iunio* (a) & *Vsserio* (b) *Vitringa*, quod hoc in versu ad aliud subiectum transeuntes, *Immanueli Scheariaschub* vatis filium *substituunt*, qui butyrum & mel fit comesturus. Id quod valde *durum* & *violentum* esse pronunciat. Non sane violentius, quam ea de Christo, in quem dicta esse sanae mentis homo somniare vix potest, explicare. Nos ut violentum illud remoueremus, *Vitringam* non *iocheb* (יאכל) *comeder*; sed *ieacheb* (יאכר) *comedetur*, legere iubere possemus. At vero neque hac opus violentia est. Constat enim, apud Ebraeos *tertiam singularis actiuam*, non raro *impersonaliter* vsurpari

(y) *Raschi* ad Gen. XVIII, 3: חמאה שמון ההלב שקולטין מעל בנו, Vox חמאה significat pinguedinem lactis, quae ex superficie eius colligitur. *Altingius*. in *Paralell.* p. 23.

(z) *Coronic*. *Itinerar.* Hierosolymitan. Lib. II. Cap. I. p. 137. De

agris sacchari canna confitis I Sam. XIV, 23, 27. interpretamur.

(a) Hi quidem hunc in modum: *Butyrum & mel faciet* (*Immanuel comedunt, ut sciat hic puer* (*Scheariaschubh*) *spernere malum & eligere bonum.*

(b) *Annal.* ad A. m. 3262.

pari (§. 12.) Quinam vero illi erunt, qui butyrum & mel comedent? *Impersonaliter* enim qui loquitur, de certo tamen *subiecto* loquitur; licet illud non *definiat*. Supplere posses, *am jbudab* (עם יהודה) *gens Iudaica*. Vir diuinus autem v. 22. ipse sui interpret est. *Nam butyrum & mel comedet omnis residuus in hac terra*. Hinc per secundam pluralis, *comedetis*, reddimus. Sic *Dub. VI. Iudaeorum* (§. 24.) corrui.

Si hoc solum comma spectes, *laetam* id *promissionem* continere videatur. *Dirissimas* autem *minas* esse, ex v. 21 - 25. intelligitur. Simili modo Num. XI, 13 - 20. posteriora verba testantur, priora non *laetam* *promissionem*, quae esse primo intuitu videri poterat, sed *minas* spirare.

Vt *minas* suas *his verbis* conciperet *Esaias*, factum esse videatur *propter* *impias Achasi querelas & blasphemias*. Mirari se, dixerit, quod ad summum numen confugere se iubeat *Esaias*; quod hostium in regnum irruptiones impedire vel non potuerit vel noluerit. *Omnia ab hostibus rapti & latronibus*. *Promisisse* hoc numen, ut fama ferat, *proauis suis*, quod *terram lacte & melle abundantem* *ipsis dare* velit *incolendam*. Hanc se incolere. *Bonis autem eius minime frui*; quae ab aliis vorantur. *Quarum rapiarum* ut *finem* tandem aliquando faciat, *Tiglatb-Pilessaris* implorandum *auxilium* esse.

Ad haec vir diuinus: *Tiglatb-Pilessaris* *superbias* praefertis diuinis, *ut butyrum & mel vorare* possitis. *Vorabit*

rabit. *Tristissima* autem vobis haec *fercula* erunt. Non enim *salua republica* ea vorabit; sed ea *per* hos ipsos *Assyrios*, a quibus vos salutem expectatis, vsque eo *deformata*, vt paucis in terra *superstitibus superfluus victus* non sit defuturus.

Praefixum ל vocis *Idaatbo* (לרעה) vt *discat*, per *dum, donec, antequam, vt*, pro Ebraei sermonis genio, reddi potest. Nos pet *vt* reddimus. Eiusdem vocis *suffixum* ך impersonaliter significat, & ad paucos illos in terra *superstitibus* est referendum. Quare reddimus, vt *discatis fugere malum & praeferre bonum*. De *consiliis, malo* (ר) Achasi, & (טו) *salutari* Esaiiae, sermo est. *Vt discatis fidere Deo, & diuino non humanum praefere-* dum esse *auxilium*. Eadem phrasi, qua de *infantibus* iudicii viribus nondum *pollentibus* solemus, vtitur propheta. Qua tecte *inlinuat, Achasum, consiliarios* eius, *gentemque Iudaicam, infantum more desipere*. *Qui*, cum *perluasionibus* nequeant, *tristi tandem eventu* sunt *conuincendi*.

§. XXXI.

v. 16.

Equidem antequam puer fugere malum & bonum se- qui *discat; desolata erit ista terra, cuius duos reges tu* odio *persequeris*.

Praesentes *Iudaeorum hostes breui tempore* *rempu-* blicam vel *regna amissuros* praenunciat. Quod *per* *Tiglath-Pilessarem & Salmanassarem* est factum. (S. 13.) *Equidem obtinebitis, inquit, quod optatis. Vincet* *Tiglath-Pilessar hostes vestros; & per Assyrios eorum de-* struentur *regna*.

Id

Id quod breui fiet. Antequam puer aliquis, modo natus, vel qui nunc nascitur, iudicio vti discat. *Hannaar* (הנער), *indefinite*; non hic vel ille puer: non obitante η demonstratiuo. (§. 11.) Vel si certum aliquem puerum maus, non repugnabimus, ad talem quasi digitum intendisse prophetam, quem quis fuerit satis quidem nouerint coaeui, posteris vero eundem designare operae pretium non duxerit. (§. 11) Finge tibi certum quemcunque volueris. Modo ne fingas, hunc puerum esse *Immanuelen*. Qui per *Dub. IV. Iud.* (§. 22.) esse non potest. Quomocunque vero alium istius temporis puerum elegeris, feliciter hic quoque nodus soluetur. Nihilque *Dub. V. Iud.* (§. 23.) contra nos valebit.

§. XXXII.

Fractis, pergit, per Tiglath-Pilessarem Syrorum & Ephraimitarum viribus, optime se rem administrasse putabit Achafus. Incidit vero in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.

Immitret vero etiam, inquit, Deus tibi & populo tuo, & familiae tuae, tempora, qualia non fuerunt, ex quo defecit Ephraim a Iuda; nimirum regem Assyriae.

Iugum Assyriorum Iudaico regno minatur; quod, quamdiu extiterit, exterorum iugo ceruicem subdere nondum fuerit coactum. Hunc artium Achafi fructum esse futurum, vt hostium suorum victori tributum pendere cogatur. Egregium facinus! vt bellum auertat, libertatem amittet summamque maiestatem. Per *Rehabeam* imprudentiam Dauididae maiori prouincia-

rum parte sunt privati. Per Achasierga summum numen impudentiam Assyriorum vasalli esse incipient.

Qua ratione per hanc Achasi cum Rehabeamo comparationem v. 13. illustretur, supra (§. 17.) demonstrauimus.

§. XXXIII.

Sancheribi
in Iudaeam
Expedi-
tio
praenuncia-
ta.

Quae v. 18-20. sequuntur, Viiringa ad Babylonorum bella extendit. Cur vero in remotiora nos tempora per illum trahi patiamur, qui propinquioribus ea Iudaeis obuénisse docere possumus? Cur ex Assyriis faciamus Babylonios? quorum in Palaestinam arma delicti Achasi consequens non fuere? Fuit vero Sancheribi expeditio; quem offenderat, quod, de quo inter Tiglath-Pilessarem & Achasum conuenerat, soluere Hiskias filius recusaret tributum. (bb)

Apum (דבורה) examen in Palaestinam ducendum exercitus fuit Assyriorum regis, Sancheribi.

Muscariuu (זבוב) copia exercitus Tirbakrae כוש כוש, Cuschaeorum regis (c); qui intra Palaestinae limites castra Sancheribo opposuit. Num hic Strabonis Tearcon est (d)? Num Aethiopum (כוש) an Hycorum (כוש) rex? In id inuestigare iam non est nostrum; maxime, cum multa excutienda essent, quae nostrae iam non capiunt paginae.

Novacula mercede conducta (תער השפדה) Assyriorum

(bb) 2. Reg. XVIII, 14.

(d) Strab. lib. I. pag. 106. Lib.

(c) 2. Reg. XIX, 9. Esa. XXXVII, 9.

XV. p. 1007. ed. Amstelod. 1707.

rum rex est; quem mineriis persuaserat Acha, vt suis hostibus bellum inferret. Haec vero contra hostes con- ducta novacula, in ipsos Iudaeos conducentes, Hiskia regē, conuersa, ita eos torondiz, vt nulli politici eorum corpō- ris pili remanerent. Toto regno, non nisi Hierosoly- mis exceptis, potitus Sancherib; hominibus id opi- busque nudauit.

§. XXXIV.

Ex his qui euasere cladibus, illa butyri & mellis co- pia abundarunt, quam Achaso regi non lactam promi- serat, sed *crississimam* minatus fuerat Esaias vates. Cum enim, regno ciuib; nudato, non quoque greges pascuā ha- berent, paucis residuorum pecudibus tantam graminis co- piam virentia prata suppeditarunt, vt, qui non nisi *uni- cam* vaccam duasque cūes haberet, totam facile familiam earum lacte alere posset. Infelicem rerum abundantiam! Felicem tamen nobis, quos v. 15. intelligere docuit.

Vnde butyri & mellis co- pia.

§. XXXV.

Sufficiat nobis tam fuisse felicibus, vt explicatio- nem in medium proferremus, quae omnia Iudaeorum contra Iesum Immanuelem tolleret dubia. Quam, siquidem hoc nomen meretur, victoriam reportauimus, non violenta ratione, sed ita, vt nullam nos vim diuini va- tis verbis inualisse, nec contra Ianae hermeneuti- ces praecēpta impegisse, considerare possimus. Quod vt obtineremus, tribus his vti arrisicis sumus. 1) Oth (וֹת) non per signum, sed per miraculum explicando. 2) Explicando solum v. 14, praecunte Matthaeo, viro di- uino

Qua ratione omnes Iudae- orum profi- gentur exce- ptiones.

uino, de Messia. 3) *Cetera omnia de Israelitarum Iudaeorumque calamitatibus sub Achafo & Hiskia. Idque hunc in modum: 1) Davidis familiam extirpare Pekach & Rhezin conantur. Sed haec eorum eos spes faller. Ex superstitite enim illa post multa saecula orbis seruator nascetur. (§. 29.) 2) Rapinas horum ceterorumque hostium, quae victum vobis rarum iam faciunt & carum, extimescere non magis opus esset. Nam harum quoque finem summum numen esset facturum; vt, finito bello, regni Iudaici ciuibus laetis & tuto bonis suis frui liceret: dummodo, in illo fiduciam reponere Achafus vellet. Hic vero cum foedus cum Assyriis praeserat, iustissima diuina vindicta per hos ipsos Assyrios eum in statum redigemini, vt lamentabilem deplorandi rerum copiam causas habituri sitis sat praegnantis (§. 30.) 3) Equidem, quod ille optat, praesentes Aehasi hostes vincet Assyriorum rex, eorumque regna subuertet. (§. 31.) 4) At vero non minus Aehas illiusque filius Assyriorum iugo collum subdere cogentur. Quod excussum Hiskiam iam diro bello Saneheribus perfequetur, vt, multis millibus partim caesis partim in captiuitatem abreptis, victum terra haec lacte & melle abundans, licet desolata, paucis residuis, propter hominum paucitatem, affluentiissime sit suppeditatura: (§. 32. 33. 34.) Grauius quid, & quod magis ad rem esset, Elaias dicere potuisse nobis quidem non videtur. Respondit euentus.*

§. XXXVI.

Quod Iudæis hac via occurri possit, non vidisse videntur vii Christiani, (e) qui cum Immanuele Esaiæ Iesum Christum per Matthæum tantummodo comparari sunt suspecti. Non irascimur bonis his viris. Praestat enim, quod suspectum tibi sit, *verum non dicere*, quam id futilibus, quibus ipse non conuincaris, *propugnare velle argumentis*. Candidi cordatique viri illud est. Hoc vero qui faciunt, de his, quia recessus habent; viri boni non possunt non immitius iudicare. Quare illorum nos sequuturi castra fuisset; nisi *explicationem Esaiæ* inuenire potuissemus, *contra quam nihil Iudæorum dubia valerent*. Certum enim est, ut Iudæis doctoribus, sic N. T. quoque scriptoribus eiusmodi *accommodationes* non fuisset insolitas. Nemo, nisi qui rixosus sit, de isto *Ramæ eiulatu* (f), deque *Vocato ex Aegypto filio Dei* (g), aliter iudicare potest. Tantumque abest, ut nobis insolitæ sint, ut illis non incommode factis quam maxime delectemur.

Euangelista quaerere comparationem potuisset in nomine *Immanuelis* istoque summo Christi beneficio, quod liberaturus esset *gentem suam ab eorum peccatis*. (h) Ille Esaiæ: *Immanuel* non nisi *symbolicum nomen*, restituendæ *salutis signum*, gessit. *Iesus Christus nomen & omen* habet. Istius nominis liberatio ab iniustis hostibus fuit significata. Huius virtute a peccatorum iugo in libertatem asserimur.

§. XXXVII.

(e) vt Grotius, Pellicanus, Castalio.

(f) Jer. XXXI. 15; Matth. II. 17, 18.

(g) Hose. XI. 1. Matth. II. 15.

(h) Matth. I. 21.

Num apud
Matthæum
Accommoda-
tio esse possit.

M

§. XXXVII.

Sed est vera
Allegatio,
Abrahamo A
Abrahamo A

At vero nihil nos cogit, ut ita sentiamus, sed iure meritoque contendimus, de eadem persona *Esaïam* & *Mattheum*, loqui. Quod quibus moti rationibus faciamus paucis exponere liceat.

1) *Virginem illibatam* salutari posse *Almah* (עלמה) non magis Iudaei negare possunt, quam Christiani. (§. 10.)

2) Quod *primi ordinis uxorem* ita appellare confuerint, parum est verosimile; licet de *vitiata* & *pellice* negari nequeat. (§. 10.)

3) *Salacis* autem vel *pellicis* filium vates, si de sua aetatis hominibus locutus fuisset, in symbolum propositurus vix videatur.

4) *Virgo* vero, praeter Mariam, nulla unquam peperit.

5) *Matthaeus*, si de *nupta* vates loquutus fuisset, ad verba eius provocans, vocabulum *Almah* (עלמה) non per *ραβδον*, sed per *ραβδα*, redditurus fuisset. Quoniam admodum *Ieremiae Ramam* & *Raabelem* retinuit; neque illis *Bethlehemum* & *Leam* substituit. (i)

6) *Solum v. 14.* *Esaïae de Messia commodissime* explicari posse, ita supra (§. 26.) nos demonstratum dedisse confidimus, ut non magis Christiani id quam Iudaei confiteri cogantur.

Absur-

(i) Conf. Ier. XXXI, 15. & Matth. II, 17, 18. Equidem monstratur hodie *Rachels monumentum* prope *Bethlehemum*. Sed hoc recentioris aetatis est; ut multa in *Palae-*

stina. Finxerunt quoque *Palae-*
stinae monachi Ramam non procul
Bethlehem. Vid. *Coronic. Itinerar*
Hierosolymitan. lib. II. Cap. X. p.
245. Neutrū suo loco. Z. III. C. 1.

Absurdum vero esset, de *Accommodatione* cogitare velle, vbi *vera Allegatio* locum habere potest. *Interpres* igitur *Esaie* *Mattheus* est.

Non dubitamus, fore plerosque qui iudicent, minus nos fortiter manum cum Iudaeis conferuisse, minusque feliciter. Sed hi erunt fere, qui litterarum Ebraearum expertes ipsi, nihil rectum putent, nisi quod a magni nominis magnaeque famae theologis scriptum legerint. Hoccine vero aequum sit, quibus nos iugulent, ea adversariis arma suppeditare? En quam sint negotiosi, ut *Almah* (עלמה) *adolescensulam, nuptam quoque*, faciant! Praestaretne, alto id praeterire silentio, inque eo acquiescere, quod tot. tantique viri solidissime demonstrarunt, hac voce non nisi *virginem* significari! Estne id crypto-Iudaismi se facere reos, quod versionem ex mente Iudaeorum, quam subvertere nequeunt ipsi, in medium proferre non verentur! Bona verba quaesumus. Quasi vero, si tu nescis, Iudaei quoque, quid *almah* (עלמה) & *allemta* (עלמתא) significant, ignorant! Fac vero, nesciant & illi. Illorumne ergo ignorantia ad suppressendam veritatem abuti nos decebat! Sed profecto sciunt. Altumne illud silentium malae causae futurum non fuisset indicium? Bellam victoriam, quam cachino excipiant victi! scilicet! victoribusque acclamant: עמי הארץ, *o ignaros!* Fac, solidas illas videamus demonstrationes. Si sint, quae feruntur, tum quidem nos errasse lubentes constebimus. Vera autem si diximus, quid opprobrio dignum fecimus? Tandemne aliquando delirare non desinemus! Iltam ex mente Iudaeorum interpretationem, non nostram, sed

Epilogus.

sed Iudaicam exposuimus; vt doceremus, hanc per ea, quae adhuc allata sunt, nondum esse destruetam; vtque qui id nobis rectius possit, suis in ea labefactanda vires periclitaretur. Sed quid opus est, subuersam feliciter per Matthaeum de nouo irritis conaminibus alio modo subuere velle explicationem? Hocine verò nihil est, quod Iudaicae viri diuini, vt aequum erat, praeferebant yaticini Esaiæ de vniuersi huius seruatoris interpretationem, eos eliminauimus seopulos, ad quos non poterant non naufragium facere cordati & Iudaei & Christiani? At non conuincet hoc Iudaeum, quandiu Matthaeo fidem non habuerit. Id sane nobis quoque videtur; qui, si Matthaeus non esset, de ea interpretatione vix cogitasset ipsi. Conuincet tamen, vbi Matthaeo fidem habere inceperit. Quam vt habeat, tanto a te opera erit danda, quam urgeas, vt suae praeferat Matthaei interpretationem.

Bone Deus! illustra gentem caecam luce tua coelesti, a qua lucem nos accepimus Christianam. Duces illis mitte, qui non caecis coeciores sint ipsi; qui non praeiudicatis sint occaecati opinionibus, sed solidis conuicti rationibus; qui non decipere velint, sed conuincere; qui non humanam sapientiam sectentur, sed diuinam; qui non suam quaerant gloriam, sed tuam. Et his vires coelitus largire, vt secum miseros hos feliciter deducant ad Iesum Christum Immanuelim.



Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X

3




PH 306

VD 77

NC







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

Q. F. F. F. S. 72
IESVM CHRISTVM
IMMANVELEM

Esa. ^VXII. 14. Matth. I. 22. 23.

CONTRA IVDAEOS
DEFENDIT
SVAMQVE HANC DEFENSIONEM
PRAESIDE
ANDR. GEORG. WAEHNER

LING. OR. P. P. O.

DIE IX APRILIS MDCCLV.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI

SUBMITTET

RESPONSVRVS AVCTOR

PHILIPPVS DVVAL
LONDINENSIS ANGLVS w

GOTTINGAE

TYPIS IO. CHRISTOPH. LVDOLPHI SCHVLZII, TYPOGR. ACAD.